CIMELIA
Qu
kat.komp
5308

Ad Bibl. in Schönbühel
D. IV. 22.

D
6

5189



A. 1650

Bibl. Jag.

Conventus Ordinis Semo: B. V. M. in Schörpickl et Conv Adm R. P. Joannis Pek Missionary Apost.

THEORIA VENTORVM

QVAM

DIVINA ADIVVANTE GRATIA SVB PRAESIDIO NOBILIS CLARISSIMIQVE VIRI D. ADRIANI ROMANI L. E. A.

defendere conabitur

IN CATHOLICA ET CELEBRI HERBIPOLENSIVM ACADEMIA

NOBILIS ANDREAS MIROVVSKI.



WIRCEBVRGI

Excudebat Georgius Fleischmann. Anno Domini M. D. XCVI.

S.W.191

IN ARMA GENTILITIA MAGNIFICI DOMINI DN. NICOLAI CORYCZINII, SAC. REG. MAIEST: SECRETARII &c.



ASPICIS heroæ proauita insignia stirpis;
Atque Coriciniæ nobile stemma domûs.
Cur galeam Regale fouet diadema coruscam?
Semideumque nota magnanimumque virum.
Ascia gemmiferæ cur vna infixa coronæ?
Et medium clypei cur tenet vna locum?
Austerum notat vna virum, notat altera mitem:
Vtraque virtuti non aliena tuæ.
Romanus Consul tu namque securifer alter
Plectis, defendis, crimina, iustitiam.

ANDREAS MIROVVSKI.

Bib. Jag.

MAGNIFICO DOMINO, D. NICOLAO CORYCZINIO, A CORYTHNO SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS IN REGNO POLONIÆ Secretario &c. Domino ac Mæcenati suo optimè merito.

S. P. D.

PLato diuinus Magnifice D. egregium dictum illud Solonis (γηράσκω δὲ αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος) diligenti studio summoq; ingenij acumine expendens, inquisiuit tandem, philosophandúmne sit hominibus, an potius in alio quopiam viuendi genere ætas transigenda? & posteaquam multa in vtramque partem occurrissent, non solum in philosophandi genere adolescendum, sed etiam consenescendum demum astruxit. Præclara sanè vox iuxta & sapientissima, hominumq; memoria & admiratione dignissima. Quid enim philosophia vel ad vtilitatem præstantius, vel ad honestatem gloriosius, vel ad necessitatem antiquius inueniri poterit? Hæc rerum admirabilium, quæ in terris mundoq; fiunt vniuerso causas aperit, herbarum, stirpium, (vt cælum, stellas, Planetas, taceam) animantium ortus, progressus, naturas, vires vtilitatesq; prosequitur. Vnde non iniuria exclamauit Seneca in aulæ turbine constitutus.

O quam iuuabat, quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immensi artifex
Cælum intueri Solis & currus sacros,
Mundique motus, Solis alternas vices,
Orbemque Phæbes, astra quem cingunt vaga,
Lateque fulgens ætheris magni decus.

Hæc

Hæc nos, vt inquit Cicero 1. Tusc. Primùm ad Deorum cultum, tùm ad modestiam, magnitudinemque animi erudiuit, eademque ab animo tanquam ab oculis caliginē dispulit, vt omnia supera, infera, prima, vltima, media videremus. *Quare Persius Satyra 5. nos pulcherrimè monet.*

——— Petite hinc iuuenesque senesque
Finem animo certum, miserisq; viatica canis.

Hæc animum sublimitatis auidum, à rerum abiectissimarum cognitione ad arduarum subtilitatem traducit: Hac homo homini præstat: hæc ad bene beateq; viuendum inuitat, hortatur & instruit. Hanc illiusq; lucem secutus Lycurgus, Solon, Pythagoras, aliiq; sapientiæ antistites, longè lateq; terram peragrarunt: alij vt eam liberius colerent, tutius possiderent, vehementius amarent, vltrò se opibus priuarunt, patriam reliquerunt, omnes vitæ necessitudines fortiter aspernati sunt. Hac sine rerumpublicarum gubernatores vel nulli sunt vel nihili. Quod pulcherrimè victoria illa L. Pauli aduersus Persas obtenta, comprobat. Cum enim nocte serena deficeret subitò Luna, militum Romanorum animus veluti monstro quodam perterritus adeo diminutus est, vt etiam abiecta hasta manus cum hoste conserere nollent; quid faceret igitur L. Paulus tali in re ac tempore? qui consuleret vnus inuentus est Gallus Sulpitius. Ille etenim longa habita oratione tam inopinatæ rei causas adeo sua philosophia manifestat, adeo militum animos incendit, vt reuersi in bellum gloriosissimam victoriam reportauerint. Sed quorsum hæc? vt quiuis nimirum, Magnifice Domine intelligat, meamq; quam suscepi prouinciam examinet, quod ego in eodem studio aliqualibus (vt ita dicam) fundamentis ante annos quatuor in augusta Cracouiensi Academia iactis, nunc autem animo Herbipoli ad iuris scientiam indagandam applicatò, me denuò (vbi videlicet otij à grauissimis occupationibus aliquid superfuerat) ad idem, tanquam ad amæniores iucundioresq; Musas contulerim, necessariaq;

ma-

magis atque vtiliora selegerim & adnotârim. Quemlibet enim verè ingenuarum artium studiosum, communi hominum iudicio, quod & de Aristotele legitur, anagnosten esse conuenit; quod haud facilè assequetur, si Neoptolemum illum Ennianum in philosophando fuerit imitatus. Verumenimuero cum ea vel in veritate inuestiganda, vel in naturalium rerum causis disquirendis potissimum versetur: ea mihi maximè rei naturalis pars, quæ sublimium & meteororum disputationem complectitur, arrisit. Hac enim nulla est in omni philosophiæ genere præstantior, nulla pulchrior, nulla humano ingenio dignior: huic soli feliciter datum est, vt sacratissimo DEI & firmetur consensu, & reddatur illustrissima: hanc ipse Seruator Matth: 16. Pharisæorum reprehendens duritiem, scientiam asserit præstantissimam, inquiens, facto vespere, dicitis serenum erit, rubicundum est enim cælum, & mane hodie tempestas erit, rutilat enim triste cælum: faciem ergo cæli dijudicare nostis. *Hanc idem ille summa veritas certissimam verissimamq; Luc. 12. confirmat;* Cum enim videritis, *inquit,* nubem orientem ab occasu, dicitis nimbus venit, & ita fit: & cum Austrum flantem, dicitis, quia æstus erit: & fit. *Qui nunc ergo animus ad tanta rei contemplationem non accendetur? Sed ne in huius solius amplitudine errans, ad infinita propemodum, quæ in ea continẽtur, traducatur animus: vnicam solum speciem, Ventorum scilicet, tanquam flosculum ex amœnissimo refertissimoq; horto, decerpsi; eamq;, tũ propter maximas, quæ ex eius cognitione emanant, vtilitates, tum propter immensum quod ex eiusdem consideratione proficiscitur, emolumentum, attentius paulò examinaui. Quis enim est tam abiectæ conditionis homo, tantaq; authoritate præditus, in tantum scientiarum cacumen elatus, qui non adeo ventorum peritia indigeat; vt eam si quis sustulerit, Solem ipsum de mundo sustulisse videatur? Ea munimentum est Regum, scutum militis, peregrinantium consolatio, naufra-*

gantium portus, œconomorum præsidium, agricolarum spes, & doctißimorum quorumque perfectio. Quid enim est aliud quod Cambysis validißimum exercitûs robur obruit, debilitauit, confregit, nisi (inquit Strabo) ignoratio venti Circij? quid quod tot militares homines infaustis quandoque prælijs oppreßi, vel fugati in vitæ discrimen, mille pericula, hostilem captiuitatem vbi mori potius quam viuere vellent, perpetuo gemebundi labantur, nisi ignorantia tam facilis atque vtilis disciplinæ? Peregrinantes porrò vt in inuijs nemoribus inter crudeles bestias errabundi euadant; nauigantes vt in marinis tempestatibus & procellis, horrenda naufragia, imo mortem præsentißimam declinent, quid aliud docet quam ventorum experientia & notitia? Hinc Tartari & Scythæ tutißimè sæpius ipso belli tempore proficiscuntur; scientes nimirum densiores arborum vertices, & ramos ad Austrum Sole contractos, hominum habitationes indicare frequentißimè. Oeconomis verò quantæ iacturæ sit, testantur tot ædium tecta ventorum violentia & impetu collapsa, & per immensa terrarum spatia dispersa, neque tecta solum, verumetiam ingentes arbores, altæ abietes, pinusq́ excelsæ non sine ingenti animi horrore conquassata: quod pulcherrimè diuinus Hippocrates exprimit: ὥταν, οὖν, *inquit* ἀὴρ ἰσχυρὸν τὸ ῥεῦμα ποιήσῃ, τατε δένδρεα ἀνάσπασα πρόῤῥιζα γίνετο, διὰ τὴν βίην τοῦ πνευματος· *Testantur etiam Mitylenenses in insula Lesbo, deflentes quotidie suæ ciuitatis pestilentißimum & morbosißimum situm. In ea enim aduersi venti & infestißimi flatus, nihil nisi morbos, pestes, & funestißimas clades procreant, quod totum cui tribuendum nisi imprudentißimo œconomorum facto? Quid agricolæ? Ex hoc ventorum spiramine comperiunt anni tempora sationibus alijsq́ id genus munijs obeundis idonea. Iam vero quid inde doctis? Sine hac iacent Philosophi, ea imbuti diuinitatis opinionem assequuntur. Cum enim Pherecides Pythagoræ Præceptor, quando prædixit, post triduum secuturum horrificum terræ*

fremi-

fremitum, haustâ ex puteo alicunde aquâ propter exhalationes perturbatâ; quis eum non diuinum è cæloq́ delapsum, fuit arbitratus? Quæ opinio etiam Hippocrati expertißimo Medico & Philosopho subtilißimo denegata non fuit; ille enim cum pestis vniuersam ferè Græciam absumeret, contra aërem infestum, vnde ea exoriebatur, ingentem syluam exuri iußit: & sic vnus litteratus totam Græciam incolumem conseruauit, quam omnes illiterati, viribus quantumuis validißimis, conseruare non potuissent. Hæc Medicum exornat perfectißimumque iuxta eiusdem Hippocratis sententiam reddit. Sic enim inquit ἰητρικὴν ὅστις βούλεται ὀρθῶς ζητῆν, τὰ δὲ χρὴ ποιέειν· πρῶτον μὲν ἐνθυμέεσθαι τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος, ὅ, τι δύναται ἀπεργάζεσθαι ἑκάστη. ἔπειτα δὲ τὰ πνεύματα, τὰ θερμά τε καὶ τὰ ψυχρά· μάλιστα μὲν τὰ κοινὰ πᾶσιν ἀνθρώποισιν· ἔπειτα δὲ καὶ ἐν ἑκάστῃ χώρῃ ἐπιχώρια ἐόντα. *Et paulò inferius:* ὥστε ἐς πόλιν ἐπειδὰν ἀφίκηται τις, ἧς ἄπειρος ἐστὶ διαφροντίσαι χρὴ τὴν θέσιν αὐτέης, ὅκως κέεται καὶ πρὸς τὰ πνεύματα, καὶ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου· οὐ γὰρ τουτὸ δύναται, ἥτις πρὸς βορέην κέεται καὶ ἥτις πρὸς νότον, οὐδ᾽ ἥτις πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα, οὐδ᾽ ἥτις πρὸς δύνοντα. *Qui igitur ventorum mutationem non optimè cognouerit, causam ipsam morborum nescierit.* ὅτι γὰρ, *inquit idem ille,* οὐκ ἄλλοθεν ποθὲν εἰκός ἐστὶ γίνεσθαι τὰς ἀῤῥωστίας μάλιστα, ἢ ἔντευθεν. *At qui morborum originem non cognouerit, quam sana ægrotanti sit daturus consilia in aliorum opinione relinquo. Sed quid ista commemoro humanaq́ authoritate multum nitor cum diuina sola sufficiat?* Educit *enim* Deus ipse ventos de thesauris suis, *inquit Psalmista. Sed ad quid educit? ob multas sanè quæ ex ÿs profluunt vtilitates, quas omnes pulcherrimè Seneca ita describit.* Primum, *inquiens,* vt aëra non sinerent pigrescere, sed assidua vexatione vtilem redderent, vitalemque tracturis. Deinde vt imbres terris subministrarent, ijdemque nimios compescerent. Fruges percipi non possent, nisi flatu superuacua admixta seruandis ventilarentur: nisi esset quod segetem excitaret, & latentem frugem velamentis suis, quæ follicu-

los

los agricolæ vocant, adaperiret. Omnibus inter se populis commercium dederunt, & gentes dissipatas locis miscuerunt. Dedit ille mundi dispositor Deus ventos ad custodiendam cæli terrarumque temperiem, ad euocandas supprimendasque aquas, ad alendos satorum atque arborum fructus; quos ad maturitatem cum alijs causis adducit ipsa iactatio attrahens cibum in summo, & ne torpeat, promouens. Dedit ventos ad vlteriora noscenda. Fuisset enim imperitum animal, & sine magna experientia homo, si circumscriberetur natalis soli fine. Dedit ventos vt commoda cuiusque regionis fierent communia. *Ita interpolatim author nobilissimus. Quare vir Magnifice, cum tantam huius rei præstantiam, tantam honestatem, vtilitatesque prope infinitas experirer atque cognoscerem, in certas paucula sque conclusiones, quæ ad illius cognitionem facere videbantur, redigere incepi, easque publicæ disputationi proponendas, doctissimorumque virorum acri iudicio committendas censui. Quod verò vt tantò firmiorem feliciorem que sortiretur exitum, magni apud me fuit momenti nobilissimi Viri, expertissimi Medici, Mathematici communi hominum iudicio hoc tempore celeberrimi, Professoris denique huius almæ Academiæ multis sanè nominibus commendatissimi D. ADRIANI ROMANI authoritas, consilium, & doctrina; quæ certè sine reprehensionis periculo neglegi à me non poterant. Cæterum mos in plerisque Gymnasijs inoleuit & consuetudo introducta est, vt vnusquisque sibi de patrono prospiciat, cui suum partum, primogenitum præsertim, offerat & consecret, cuius etiam authoritate niti, dignitate illustrari, nomine clarior reddi posit. Procul mihi excurrendum non est, tu enim tete in ipso limine offers; cui, quidquid possum, summo iure debeo. Munificentia etenim tua quã se prolixè duodecim annorum spatio non domi solum, verum etiam foris apud exteros, Largi instar fluminis in me exonerârit, multâ profectò experientia*

entiâ ſum edoctus edoceorq́ magis quotidie. Tuo enim ſumptu per quinquennium in antiquiſsima Cracouienſium Academia vna cum filijs tuis operam ſtudijs dedi; & licet aliam viuendi rationem animo aliquando conceperim, te tamen ſuaſore, authore & coadiutore litteris adhuc incumbo. Commiſiſti mihi prætereа erudiendos filios, cum ijſdemq́ me in exteras nationes, Germaniam dico in celebre Herbipolenſe Gymnaſium ablegaſti: quo vno ſanè quid maius excogitari poteſt? Committere enim filios eſt ſuum præſtantiſsimum reconditiſsimumq́ theſaurum alicui concredere. Quibus autem quanto labore & conatu præfuerim aliorum iudicium eſto. Ego hoc vnum profiteor me tantum quantum ingenij mei imbecillitas perpeſſa fuit, attentáſſe, omnemq́, vt aiunt, mouiſſe lapidem vt & tuo deſiderio ſatisfacerem & illorum vtilitati conſulerem. Multa & alia innumera beniuolentiæ ſigna certiſsima mihi exhibuiſti, quorum omnium in vicem & obſidem, niſi haſce tibi de Ventis qualeſcunque exercitationes Mag^ce. D. obtuliſſem ingratitudinis vitium mihi maximopere pertimeſcendum fuiſſet, vererérq́ ne illo ex Odyſſea Homerica iuſte in me vtaris.

Μήτις ἔτι πρόφρον ἀγανὸς, καὶ ἤπιος ἔσω,
Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς.
Ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη· καὶ αἴσυλα ῥέζοι.

Quæ omnia non ego ſolum refugio, ſed etiam toto corpore perhorreſco. En itaque Magnifice Domine, en grati animi indicium & gratitudinis obſidem perpetuò tuis beneficijs deuinctum, en Ventorum theoriam, quam publicè ſub tuo patrocinio edidi, & vtinam Regem Xerxem imitareris, qui aquulæ hauſtu in manus concauitate à ruſtico ſibi oblato, tantopere delectatus fuit, tamq́ grato animo ſuſcepit, vt etiam eum maximis diuitijs ab alijs ſibi datis prætulerit. Quæ ſi grata tibi & accepta cognouero, ad maiora aliquando animatum

& alacriorem efficies. Vale & viue Mæcenas dignißime perpetuò felix solitamq́; tuam in me perenna gratiam Herbipoli. 3 id. Mart. Anno Domini M. D. XCVI.

Mag^cie. Suæ

Humilimus Cliens

ANDREAS MIROWSKI.



EPI.

NOBILI DOMINO ANDREAE MIROVVSKI ANEMIGRAPHIAM SVAM IN CELEBRI HERBIPOLENSIVM ACADEMIA in publicum proponenti, honoris ergô ascriptum

à

GENEROSO D. ADAMO VVOLSKY DE PODHAICZE.



AEtheream ANDREAS cum se penetrasset in aulam
Siue alis Persei Dædale siue tuis:
Ardenteisque polos non incola segnis obiret,
Et tantas superûm fixus amaret opes.
Arrisêre omnes iuueni; tum Rector Olympi
Talia mellifluo pectore verba dedit.
En tibi cælesteis thesauros, ecce reposta
Nequicquam priscis te reseranda duce.
Quid petis? Attalicas an opes, gemmasque nitentes?
Prendito quod libeat Syderea arca patet.
Ille petit ventos, causasque & nomina quærit
Ventorum, cælis hisque decorus abit.
Fama tui, Tiphys famam superare meretur,
Qui tumidis ventis carbasa prima dedit.



EIDEM NOBILI ET ERVDITO D. ANDREAE MIROVIO CVM HANC METEOROSOPHICAM DE VENTIS DISPVTATIOnem impugnandam proponeret & defendendam ſuſciperet, honoris & amoris ergô ſcriptum

à

GENEROSO D. STANISLAO LASOCZKI DE GLEVVO.

DOctum Pierias caput exaltaſſe per artes,
Et comitem Aonij ſæpe fuiſſe iugi:
Noſcere per denſum vix notos, aëra curſus,
Clara hæc ingenij ſunt monumenta tui.
Armatos valido miror iam murmure ventos
Scripſiſti exculto, quos bonus, ingenio:
Sydera corruptis quis nam ſecet ardua habenis,
Quis foueat molles vere ſilente roſas?
Quid miror dubijſque mea eſt mens anxia curis?
Extulit ingenuum gloria MIROVIVM.



EIDEM NOBILI AC ORNATISSIMO DOMINO ANDREAE MIROWSKI I. V. STVDIOSO, DVM SVVM DE VENTIS PHILOSOPHEMA publicè diſputandum proponeret, ſcribebat:

GENEROSVS D. IOANNES ORZELSKY.




Eolus humanas mentes, humanaq́; ſpectans
Ingenia, Aonium iuſſus adire iugum.
Hic vbi doctiloquas miratus ab ordine Muſas:
Quærit, Pieria cui ſtet ab arte decus.
Calliope Aonijs quæ iam dominatur in aruis
MIROVIUM docto laudat ab ingenio.
Tum ſubitò hunc iuuenem, dictis ſic poſcit amicis,
Salue diuini gloria magna chori.
Hactenus indicium oſtendiſti mentis acutæ
Impleſtique ſacro pectora docta mero.
Carbaſeos aude (cum fas eſt) ſcribere ventos
Et quondam noſtræ ſumere mentis opus.
Dicta probat iuuenis, ſicque altos quærit honores,
Sic dulcem ex ſtudio, ſumit amaritiem.





ARVILO
SEPTENTRIO.
θρασκίας
TRASCIAS
μέσης
MESES
CORVVS
καικίας
CÆCIAS
ζέφυρος
FAVONIVS
OCIDENS
ORIENS
ἀπηλιώτης
SVBSOLANVS
λίψ
AFRICVS
εὖρος
VVLTARNVS
MERIDIES
λιβόνοτος
LIBONOTVS
νότος
AVSTER
φοινικίας
EVRONOTVS



LONGITVDO MINOR SIVE OCCIDENTALIOR
LONGITVDO MAIOR SIVE ORIENTALIOR
90 85 80 75 70 65 60 55 50 45 40 35 30 25 20 15 10 5 5 10 15 20 25 30 35 40 45 50 55 60 65 70 75 80 85 90
LATITVDO MINOR SIVE AVSTRALIOR
LATITVDO MAIOR SIVE BOREALIOR
SITVS CVM NOMINIBVS GERMANICIS ET ITALICIS
QVADRATVM NAVTICVM CONTINENS VENTORVM
MERIDIES
ORIENS
SEPTENTRIO
OCCIDENS
ZVYD MEZODI.
ZVYDEN OOSTEN Qa DI MEZODI SIROCCO
ZVYD ZVYD OOST. SIROCCO MEZODI
ZVYD OOSTEN ZVYD. Qa DI SIROCCO MEZODI
ZVYD OOST. SIROCCO.
ZVYD OOSTEN OOST. Qa DI SIROCCO LEVANDE
OOST ZVYD OOST. SIROCCO LEVANTE.
OOSTEN ZVYDEN. Qa DI LEVANTE SIROCCO
OOST. LEVANTE
OOSTE NORDEN Qa DI LEVANTE.
OOST NORT OOST GREGO LEVANDE.
NORT OOSTEN OOST Qa DI GREGO LIVANTE.
NORD OOST. GREGO.
NORT OOSTEN NORT. Qa DI GREGO TRAMONTANA.
NORD NORD OOST. GREGO TRAMONTANA.
NORDTEN OOSTEN Qa DE TRAMONTANA GREGO.
NOORT TRAMONTANA.
NORDEN WESTEN Qa TRAMONTANA MAESTRO
NORD NORD WEST. MAESTRO TRAMONTANA.
NORD WESTEN NORD. Qa DI MAESTRO TRAMONTANA.
NORD WEST. MAESTRO.
NORD WESTEN WEST. Qa DI MAESTRO PONENTE.
WEST NORD WEST. PONENTE MAESTRO.
WESTEN NORDEN. Qa DI PONENTE MAESTRO.
WEST. PONENTE.
WESTEN ZVYDEN. Qa DI PONENTE LEBECCHIO.
WEST ZVYD. PONENTE LEBECCHIO.
ZVYD WESTEN WEST. Qa DI LEBECCHIO PONENTE.
ZVYD WEST. LEBECCHIO.
ZVYD WESTEN ZVYD. Qa DI LEBECCHIO MEZODI.
ZVYD ZVYD WEST. LEBECCHIO MEZODI.
ZVYDTEN WESTEN Qa DE MEZODI LEBECCHIO.

EPIGRAMMA.

EIDEM NOBILITATE, VIRTVTE ET DOCTRINA ORNATISSIMO DOMINO ANDREÆ MIROVIO I. V. STVDIOSO

hoc Theorema defensuro, honoris & amicitiæ ergô faciebat.

ADAMVS CHARZINSKI SS. THEOLOGIAE STVDIOSVS.



Obile ab antiquo deducere stemma parentê,
Et clarum à veteri sumere nomen auo:
Non hic paruus honos; quod ne decus inui-
Posteritas, sollers efficit ingeniū. (da tēnat
Sic tu qui titulo multum decoraris auito,
Auges maiorum stemmata laude tua.
Musarum tenero coluisti culmen ab æuo;
Nunc tibi fert dignum, Musa, labore, decus.
Perge age MIROVI: crescet sic nomen auitum,
Maior & ex magno stemmate crescet honos.
Et veluti reseras ventorum claustra, latentes
Sic quoque te venti celsa per astra ferant.



BVC-

BVCOLICVM SACRVM DE VENTIS.

QVOD

NOBILI DOCTISSIMOQVE DOMINO ANDREAE MIROVIO. I. V. STVDIOSO ET TVM TEMPORIS PRÆCEPTORI SVO AMANTISSIMO, dum hasce de Ventis theses in alma VVirceburgensium Academia publicæ disputationi proponeret, Perpetuæ obseruantiæ ergô inscripsit.

CHRISTOPHORVS CORYCINIVS A CORYTHNO PHILOSOPHIAE STVDIOSVS

DAVID REX, DIVINVS VATES.

PSALM: CXXXIV.


O*mnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cælo, & in terra. in mari, & omnibus abyßis; educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit, & producens ventos de thesauris suis.*

Latiuagi quæcunque suo vastißima mundi
Machina complexu tenet, ac immane barathrum
Quidquid habet sub se latitans, mersumque profũdo
Squamigerum pecus omne mari, cælique meatus
Orbe suo quidquid claudit, DEVS omnia fecit.
Cælum, terra, fretus, barathrique silentia tecta,
Gratifico sacras recinant modulamine laudes.
Ille solum viridi depingit gramine, vernas
Ille rosas grato suffundit odore, virorem

Ille

Ille dat arboreis ramis, dat frugibus auræ
Temperiem, gelido iubet ille madere madore
Omnia; neu pereant nimio exſiccata calore.
Cælum, terra, fretus, barathrique ſilentia tecta,
Gratifico ſacras recinant modulamine laudes.
Illius imperio latratu dira trifauci
Cerbereus canis antra ſubit, rabidoque nocentes
Dilaniat morſu, nutu illius omnis abyſſus
Contremit, omne genu ſe flectit, & omnis ab ore
Diuinos profert hymnos, & carmina dicit.
Cælum, terra, fretus barathrique ſilentia tecta
Gratifico ſacras recinant modulamine laudes.
Ille maris fluctus, tempeſtateſque ſonoras
Excitat, atque premit, pauidique patentia nautæ
Vela regit, remumque agilem, nauemque fugacem:
Vorticibus dat iura, replet fluuialibus æquor
Piſcibus, Oceani fluxum regit atque refluxum.
Cælum, terra, fretus barathrique ſilentia tecta
Gratifico ſacras recinant modulamine laudes.
Nobile ſidereæ placido nunc aſpice vultu
Molis opus, candens rutili iubar aſpice Solis,
Quam gratis vicibus noctemque diemque reducit!
Aſpice flammigeras ſtellas, Lunamque bicornem,
Quam benè virgineum ſuffundunt ore ruborem!
Cælum, terra, fretus barathrique ſilentia tecta
Gratifico ſacras recinant modulamine laudes.
Ille paludoſæ, ſi vult, de viſcere terræ
Euocat & liquido ſuſpendit in aëre nubes;
Et velut ex venis ſilicis latitantia flammæ
Semina nos lapidum conflictu educimus, ille
Sic quoque flammantes è nubibus elicit ignes.
Cælum, terra, fretus barathrique ſilentia tecta
Gratifico ſacras recinant modulamine laudes.
Aethereo triſtes nunc mittit ab axe fragores
Queis quatit excelſas ſublimi à vertice turres:
Nunc ſecat aërios nictanti fulgure campos:
Nunc iterum rapidos conuertit fulguris ignes

In pluuias, quibus arua riget, glebasque resoluat.
Cælum, terra, fretus barathrique silentia tecta
Gratifico sacras recinant modulamine laudes.
Ditibus ille suis ventorum flamina gazis
Educit, Nerei quibus arua profunda gubernet.
Hinc modò vela ferit tremulam quatit atque carinam,
Et sine remigio spumosa ad littora torquet;
Turbinibusque modo pulsam cæcâ obruit vndâ.
Cælum, terra, fretus barathrique silentia tecta
Gratifico sacras recinant modulamine laudes.
Illius ad nutum spirans exurgit ab orbe
Leniter Hesperio Zephyrus, creberque procellis
Africus, & clemens genitabilis aura Fauoni.
Illius ad nutum sæui furit impetus Austri.
Illiùs ad nutum sæui silet impetus Austri.
Cælum, terra, fretus barathrique silentia tecta
Gratifico sacras recinant modulamine laudes.
Illius imperio Boreas erumpit ab antris
Arctois, gracilesque truci conquassat aristas
Turbine, & annosas imis radicibus ornos
Euellit, sternitque, niues contorquet & altas,
Arboribusque minas reboat, raucosque fragores.
Cælum, terra, fretus barathrique silentia tecta
Gratifico sacras recinant modulamine laudes.
Illius imperio glaciale insibilat Euri
Flamen lucifluo veniens brumalis ab ortu
Frigoris, huncque rapax sequitur Vulturnus, & aër
Cæciæ, & omne genus ventorum, qui simul omnes
Illius imperio parent, sonituque celebrant.
Cælum, terra, fretus barathrique silentia tecta
Gratifico sacras recinant modulamine laudes.



VENTORVM THEORIA

VENTI DEFINITIO.


Entus Aristoteli est aëris, hoc est exhalationis, motus; sic Alexandro fluxus exhalationis. 1.

Motus porrò hic venti siuè exhalationis est localis, quod adeò est perspicuum, vt sensui etiam sit exploratum; ideoque nulla ratione ad comprobandum opus est. 2.

Motum localem omnium rerum sublunarium per medium, idque plenum non vacuum fieri necessariò, in schola Peripatetica clarum est: cum id efficacissimis rationibus aduersus veteres ostenderit Aristoteles, adeò vt per plenum medium latio celerior fiat, contrà quàm veteres arbitrabantur. 3.

Medium autem, quod lationem mirificè suâ naturâ adiuuat, aër est, teste Arist: quia & grauis & leuis existat, reddique possit, vt natura ipsa ad hasce motiones obeundas, eo tanquam proprio aptissimoque vtatur instrumento. 4.

Aër hic inferior tametsi grauis leuisque sit, magis tamen grauis est, propter insitam humiditatem, quæ affinis magis est grauitati, quàm leuitati, vt docuit Auerroës. Ideoque & Aristoteles aërem, modo aquæ, ad id quod cauissimum est, fluere notatum reliquit. 5.

Est autem aër tale medium in motu venti, vt nisi exhalatio per aërem moueatur, tanquam per proprium medium, nisique ipsum pellat ac moueat, ventus nullus oriri possit. Vnde Arist: aër tunc in ventum conuertitur, cum ab aliquo corpore mouetur & pellitur: vt ventus sit nihil aliud quàm corpus illud per aërem motum aëremque pellens, ac motus aër vnà cum eo. Definiens quoque ventum Aristoteles, inquit, multitudinem esse quandam exhalationis circa terram motam: circa terram quidem, ac si per aërem dixerit, cum circa terram moueri nequeat, nisi per aërem fluat, proindè motum ex superiore loco, & ex ipso aëre, non ex terra ventum habere statim subdidit. Ratio quoque docet, exhalationem vt moueatur, necessariò per corpus mediumque moueri, quod secare atque impellere possit: nam nisi exhalatio per medium aptum quod 6.

suâ naturâ motionem eius adiuuet, quantumque in se est, reddat celeriorem, ac pari maiorique etiam pernicitate moueri possit, moueretur, nequaquam ventus tantum impetus haberet. At huiusmodi corpus nullum aliud esse posse quam aërem, liquet.

7. Huius communis motus exhalationis & aëris ratione fit, vt nomine aëris ac motus ipsius, totum aggregatum, exhalationem scilicet & aërem nonnunquam intelligat Arist: vti cum inquit, aërem calore detineri hisce verbis. ἀνιεμένου οὖν ᾧ κατείχετο ὁ ἀὴρ καὶ ἠρέμει πάλιν κινεῖται, καὶ γίγνεται πνεῦμα. hoc est, *remisso igitur calore, quo aër*, hoc est, exhalatio quæ aërem mouebat, *detinebatur & quiescebat, rursus ipse aër mouetur, & ventus euadit*; quo loco Alexander aërem similiter exhalationem interpretatur; idem in multis locis Arist: videre est. Nec non è contrario sæpissimè exhalationis nomine aërem intelligit Aristoteles.

8. Motus hic venti, ἀρχὴν καὶ πηγήν, hoc est, principium & fontem suæ motionis habet. Vnde Alexander δύναται γὰρ πολὺς ἀὴρ ὑπό τινος πτώσεως κινηθῆναι, ὃν οὐκ ἄν τις ἄνεμον λέγοι, οὐκ ἔχοντα ἀρχήν, οὐδὲ πηγήν, ἀφ' ἧς ἡ ῥύσις ἄνεμος. hoc est. *potest enim quandoque fortè moueri ab aliquo casu plurimum aëris, quem tamen nullus ventum appellabit, cum non habeat principium quoddam & quasi fontem, à quo* (fonte & principio) *fluxus* (aëris) *ventus est.*

9. Est porrò ventus corpus non perfectè mixtum, sed imperfectè, veluti & reliqua plerunque sunt Meteora.

10. Sunt autem imperfectè mixta ea, quæ ex pluribus constant elementis, in vnum congestis, non verè mistis, ideoque non habēt formam aliam misti essentialem, sed congeries sunt potius quædam, siuè παράθεσεις elementorum, quasi vnum ad alterum appositum.

11. Motus in mixtis perfectis, fit secundum præualens elementum, alijs castigatis & coërcitis: ita vt ad vnum eundemque motum propensa sint omnia, vt cum lapis deorsum mouetur propter terram præualentem, tunc ignis & aër descendunt simul ob verè factam mistionem. In mistis verò imperfectis, quia vera carent mistione, sed plura adsunt elementa seruantia proprias naturas, quorum vis

coër-

coërcita non eſt, perpetua pugna reperitur; & licet alterũ præualeat, reliqua tamen, quia non ſunt domita, reluctantur; vt propterea longè diuerſi motus oriantur. Vnde Olympiodorus ex Theophraſti ſententia inquit. τῆς δὲ λοξῆς κινήσεως τῶν ἀνέμων ἄλλην μὲν αἰτίαν ὁ Θεόφραστος ἐν τοῖς οἰκείοις μετεώροις ἀποδίδωσιν, ἄλλην δὲ νῦν ὁ Ἀριστοτέλης. ὁ γὰρ Θεόφραστος φύσιν ἐν τῇ καπνώδει ταύτῃ ἀναθυμιάσει μεμίχθαι τινὰ πυράδη οὐσίαν καὶ γηίνην αἳ τινες τὴν ἐναντίαν κίνησιν κινούμεναι καὶ μαχόμεναι, λοξὴν ποιοῦνται τὴν κίνησιν· μὴ γάρ τις λεγέτω, ὅτι διατί γὰρ μὴ ὑφίεται ἐπὶ τὰ ἄνω κίνησις τοῦ γεώδους ἐπικρατοῦντος, ἢ ἡ ἐπὶ τὰ κάτω τοῦ πυρώδους πλεονάζοντος ἐπ' εὐθείας τῆς κινήσεως γινομένης· ῥητέον γὰρ ὅτι τοῦτο καλῶς λέγεται ἐπὶ σωμάτων κεκραμένων· ἐπὶ γὰρ ἐκείνων ἄφεσιν γενέσθαι ἑκατέρας ἀμετρίας κολαζομένης· ἐπὶ δὲ σωμάτων κατὰ παράθεσιν ἑνωθέντων οὐχ ἕπεται τοῦτο· ἑκάτερον γὰρ τὴν αὐτὴν ἔχον ἰσχὺν, μένει ἀπομαχόμενον· διὸ μηδενὸς ὑπείκοντος ἐκ περιστάσεως, τὸ ὅλον εἰς τὰ πλάγια φέρεται· οὕτω μὲν ὁ Θεόφραστος· hoc eſt; *Obliqua autem ventorum motionis aliam quidem cauſam Theophraſtus in ſuis meteoris attulit; aliam hoc in loco Ariſtoteles. Etenim Theophraſtus inquit, in fumida hac exhalatione mixtam eſſe ſubſtantiam quandam igneam & terream, quæ quidem motæ contrario motu, & pugnantes obliquam efficiunt motionem. Nec dicat aliquis, cur terrea portione dominante non cedit motus, qui ſurſum tendit, vel ſuperante ignea, qui deorſum; ita vt in rectum motus efficiatur? Siquidem reſpondendum eſt, hoc verè de mixtis corporibus dici: cum in illis contentionis huius remiſsio fiat, vtraq; immoderatione caſtigata: in corporibus verò quæ per adpoſitionem ſunt, id nullatenus ſequi: cum vtrumq; proprias vires retinens pugnare non deſinat. Quare nullo cedente ex ipſa periſtaſi (* id eſt, quia tranſitum fieri oportet in alium motum *) totum in obliquum fertur. Ita quidem Theophraſtus.*

MATERIA VENTORVM.



Ateria Meteororum eſt exhalatio, eaque duplex, ſicca videlicet, quæ ſimpliciter exhalatio vocari ſolet, & humida, quæ abſolutè dici ſolet vapor, de quibus ita Ariſto- 12.

teles.

teles. *Ignem & terram & quæ his cognata sunt, eorum quæ accidunt in eo causam in genere materiæ esse, censendum est.*

13. Substantiæ hæ duæ ita sunt commistæ teste Aristotele, vt humida absque sicca non sit, nec sicca absque humida, sed omnia hæc, ex eo quod excedit, denominationem sumunt.

14. Excitantur porrò tum vapores tum exhalationes plerumque vi cœlestium corporum, calore potissimum, tum è terra, tum ex aqua. Vnde Aristote: *Horum autem & aliorum multorum principium hoc est. Cum enim terra vi solis incalescat, exhalationem fieri necesse est, non illam quidem vnam & simplicem, sed duplicem: vnam quæ vapor magis sit, alteram quæ magis spiritus.*

15. Ventorum materia, non est vapor, aut exhalatio cum dominio vaporis, sed in qua caliditas & siccitas dominatur; vnde Arist: *Cum autem duplex sit vt dictum est exhalatio, vna quæ vaporis plena est, altera fumida; vtramque fieri necesse est, harum verò, exhalatio ea, quæ maiorem humoris copiam obtinet, aquæ pluuiæ, vt antea diximus, principium est: sicca autem ventorum omnium principium & natura.* Veteres venti materiam absolutè statuêrunt aërem ex sese motum, non ab exhalatione pulsum; asserentes quemlibet aëris motum, etiam casu factum, ventum esse: vnde vnum esse ventum, omnes ventos affirmabant, eandemque venti esse naturam & pluuiarum, quia idem aër motus ac fluens ventũ, concretus in aquam nubes, faciat.

16. At Aristotel: exhalationem siccam primò ventum constituere asserit: ideoque veteres redarguit, docetque venti naturam ac pluuiarum longè esse diuersam.

17. Sæpè tamen ventũ Aristoteles aëris motum vocat, vti & Theophrastus, verùm tunc aëris nomine intelligunt exhalationem quæ aërem mouet, atque vnà motum aërem ab ea; quo sensu non negat Aristot: ventum dici aëris motum, licet in veteres inuehatur, ventum aëris motum simpliciter & absolutè statuentes.

18 Quinimo mentem suam aperit manifestè Arist: dum scribit; εἰ γὰρ τὰ πνεύματα τοῦ ἀέρος κινουμένου ὑπὸ τοῦ θερμοῦ γίνεται. Hoc est. *Si enim venti aëre à calore moto oriuntur,* caloris enim nomine exhalationem hoc loco intelligit Aristo: quatenus tamen calida pars in ea excedit. Propterea statim subdit, ignem in sublime naturâ ferri, quod calorem

calorem vocauit; ignem ſcitè dicens, vt nos commonefaceret, caloris nomine non qualitatem puram, ſed corpus aliquod igneamque exhalationis partem eſſe intelligendam, atque exhalationem ipſam, quatenus in ea calor dominatur; deindè ventum aëre ab exhalatione hac moto oriri inquit, quã mox τὸ κινοῦν id eſt *mouens ipſũ* appellat: quoniã, vt ſuperius monuimus, ventus niſi exhalatio moueatur in obliquum, aëremque moueat, effici non poteſt: Ariſt: verò hic calidam exhalationis partem, non vt motam, ſed vt mouentem cauſam ſtatuit.

Sic author lib: de Mundo cùm dixiſſet ventum è ſicca conſtare exhalatione, mox eundem nihil eſſe aliud quàm fluentem aërem multum & copioſum addidit, ſanè vt oſtenderet, aërem vnà cum exhalatione motum, ventum efficere. 19.

Quod quidem totum Heron Alexandrinus, his verbis valdè eleganter expreſsit. *Et ventus quidem oritur à vehementi exhalatione, aëre expulſo, & attenuato, & ſemper proximum continuumq; mouente, quæ quidem aëris motio, non per omnem locum æqualis eſt celeritatis, ſed iuxta ipſam exhalationem vehementior celeriorq́; imbecillior verò cum longiori ab eo loco digreſſa fuerit; vnde moueri aër incipit quemadmodum in grauibus corporibus euenit, quæ furſum iaciuntur: enimuerò hæc loco inferiori proxima, in quo vis eſt impellens, celeriùs mouentur, in ſuperiore tardiùs.* Quanquam in eo maximè ab Ariſtotele diſſentit Heron, quod velit ventos aut in principio ortus ac motionis, aut paululum ſaltem digreſſos, incitatiorem motum habere ac vehementiorem: item quod exhalationem quæ aërem pellit, non moueri & ipſam arbitrari videatur, ſed non ſecus ac vis manuſque grauia ſurſum proijciens faciat, immotam permanere. 20.

Eſt porrò exhalatio, quæ potiſsimum venti corpus conſtituit, ignea eſſentialiter, quia calida & ſicca, vti anteà diximus. Albertus tamen Magnus, exhalationem ex qua venti conſtant, eſſentialiter terram eſſe ſcribit, ideoque naturâ ſuâ frigidam & ſiccam: quod licet recentioribus quibuſdam non diſpliceat, nobis tamen Ariſtotelica ſententia verior apparet. 21.

Exhalatio hæc, vt venti corpus conſtituat, ſurſum aſcendere debet, vt in ventum conuertatur, deinde poſtquam aſcenderit, 22.

 mode-

moderationem acquirere debet: alioqui si hanc moderationem nõ receperit, exhalationes tunc descendentes, inquietum aërem tàm diu commorabuntur, donec illud à Sole accipiant, aut à luna, aut aëris constitutione, aut aliqua simili causa. Sed de hac moderatione latius posteà.

FORMA VENTI.

23. VEnti forma quæ sit non omnino constat; nos tamen communem amplectentes sententiam, motionem ipsam obliquam venti formã, aut sanè prout alij volunt, propriam passionem actumque essentialem esse existimamus. Aristoteles sanè dum ventum inquit esse motum exhalationis, videtur formam venti statuere motionem; quam sententiam Theophrastus secutus est. Alexander quoque apertè expressit, dum ventum exhalationis fluxum definiuit. *Non enim adhuc ventus est*, vt idem inquit Alexander, *donec sic incipiat ferri*, scilicet ipsa exhalatio.

24. Albertus Magnus formam venti statuit exhalationem, vnde ita quærit. *Adhuc autẽ quomodo potest esse, quod vapor terreus* (id est exhalatio) *sit materia venti, & principium efficiens ipsius, & radix esse eius? radix enim secundum formam, & principium est secundum efficientem causam. Et hæ duæ causæ non coincidunt in vnam causam efficientem, vt in 2. Phys: est determinatũ.* Mox sic soluit dubitationem. *Vapor autè terreus* (id est exhalatio) *materia est venti, secundum quod ventus dicitur actiuè primum, quia flat actiuè, quia illud quod flatur est aër. Est autem efficiens venti, per motum suum, & est radix eius secundum suum genus* (hoc est vt forma) *per formas frigidi & sicci* (ipsius vaporis terrei) *quæ denominantur in ipso vento*, (quem Albertus etiam frigidum & siccum vult) *atq; sic non est inconueniens &c.*

25 Verùm Alberti hæc sententia non probatur: aliud namque est ac longè diuersum exhalationis formam quærere & naturam, aliud venti ipsius. Exhalationis quidem forma Alberto in frigido & sicco consistit: Aristoteli in calido & sicco; at hoc idem venti formam putare est absurdum, quoniam cum exhalatio genita est, quinetiã & sursum euecta, non adhuc ventus est, vt anteà ostendimus.

CAVSA

CAVSA EFFICIENS PROXIMA MOTIONIS VENTORVM.

QVæ causa sit proxima motus ventorũ, inter Philosopho non conuenit. Nos ex Aristotelis & Theophrasti mente pugnæ naturarum & principiorum, grauitatis nempè & leuitatis, exhalationem componentium, inque diuersas partes nitentium, quæ in vento reperiuntur, ascribimus. Cum namque partes igneæ & terreæ, vel etiam humidæ aliquando, viriũ æqualitatem acceperint, statim pugnam oriri inter illas, eamque pugnam motionis causam esse necesse est. Quod quidem significabat Aristoteles, dum negabat manere posse exhalationem quando neutrum superat. Principia autem hæc penè debent esse paria virtute: nam quod superatum est, iam manus dat, quiescitque necessariò. At dum pugnant moueri exhalationem necesse est. Vndè rectissimè Auerroës Alexandrum imitatus dixit, non quemlibet calorem, sed *proportionalem* (vt habet interpres) *ventos producere.* 26.

Cur autem non deorsum aut sursum moueatur exhalatio ventum constituens, sed lateraliter, magna eget consideratione: nos eandem planè obliquæ motionis, quàm ipsius motionis absolutè consideratæ, causam statuimus; videlicet contrariorum motionũ permistionem, & principiorum naturarumque in contrariam partem nitentium coniunctionem. Sic leue principium sursum, graue deorsum trahit; prætereà leue deorsum moueri eam, graue sursum prohibet, vt necesse sit in obliquum qua parte non prohibetur ferri. 27.

Hinc fit vt sublato æquilibrio (quod fit dum exhalatio redditur calidior aut frigidior, siue, quod in idem incidit, leuior & grauior, quàm ad obliquam motionem peragendam opus sit) statim etiam venti cesset motio. 28.

Quærit ideò rectè Aristoteles, cur post imbres venti sedentur? causamque adfert huiusmodi; quoties nubes eundem in locũ compulsæ sunt, ac frigus eas circumstat, aquam oriri, quæ siccam exhalationem refrigerat, hâc verò refrigeratâ ventum sedari. Ex qua ratione manifestum existit, cum sublata fuerit exhalationis temperatio, naturarumque illud æquilibrium siuè libramentum, statim 29.

ventum

ventum ſedari, obliquamq́ue tolli motionem: ſiquidem ſi ſuperueniens imber ſua frigiditate ſiccam exhalationem refrigerat, hoc eſt reddit grauiorem, iam ſtatim ceſſat obliqua motio.

30. Similiter quærit cur poſt ventos ſuperueniant imbres? dicitq́ue quod cum ventorum materia, exhalatio ſcilicet mouetur agitaturq́ue, ſemper calor ipſius ſecernitur, atq́ue ad ſuperas euolat ſedes. vnde relinquitur vapor humidaq́ue pars exhalationis, quæ refrigerata ob caloris diſceſſum, in imbrem cogitur, ſubindeq́ue ſedato vento pluuia oritur. Ex qua etiam cauſa manifeſtum euadit, ſi in motu exhalationis fiat partis calidæ ſecretio, & ſi materia & temperatio illa auferatur, etiam motum obliquum auferri parte quidem calidâ motâ ſurſum; frigidâ verò in imbrem denſatâ, deorſum.

31. Nec aliter contingit. ſi calida exhalationis pars præter modum augeatur, ſtatim enim tollitur interitq́ue obliqua motio: ſi verò caliditas illa remittatur, tum ventum excitari. Quod ex Eclipſi Lunari eleganter docet Ariſtoteles, quoniam iamiam inſtante defectione remittitur calor, qui aërem exhalationemq́ue detinebat ne flueret ac moueretur. Vndè Alexander inquit. *Siquidem cum hebetatur minorq́, fit calor, qui à luna in aëre gignitur, proximâ iam exiſtente latione, in qua fit Eclipſis, demiſſa exhalatio quæ anteà nimio calore detinebatur ventos facit.* Quod ijſdem planè verbis ab eodem in problem: docetur. Ex qua quidem Philoſophi ratiocinatione, ſatis liquet, quantum in ventorum ortu poſsit caloris gradus varietas ac menſura, vt nulli dubium eſſe queat in exhalationis temperatione caloriſque varietate, motionem omnem & quietem exhalationis, ex Ariſtotelis ſententia referendam.

32. Sic quoq́ue ab Ariſtotele & Theophraſto ſcribitur, meridie ac media nocte aërem maximè tranquillum eſſe, ventoſq́ue potiſsimum tunc ſilere; quoniam vel nimius calor ob ſolis propinquitatem, vel nimia frigiditas ob eius remotionem, exhalationis motum impedit.

33. Prætereà notat Ariſtoteles, in Orionis exortu, quia in temporum mutationem incidit, ventos maximè excitari. In temporum autem mutationibus maximè variatur menſura caloris & frigiditatis, vt excitari ventos plures, & eos quidem difficiles & incertos ſit neceſſe.

Verùm

Verùm locus Aristotelis est manifestus in Problem: quærit
namque cur aër in motu venti non sursum feratur sed obliquè? deindè cur venti motus obliquus sit? Dubitationis autē quæstionisue ratio est; quoniam ventus ab exhalatione oritur aërem impellente: tunc enim ventus fit, cum mota hæc exhalatio aërem mouet. At exhalatio hæc calida est, igneaque natura in ea dominatur, propterea cum è terra gignitur, sursum rectâ mouetur; itaq; si aër ab huiusmodi exhalatione pelletur, moueri sursum omnino debet, aër namque sursum ferri aptus est naturâ, & mouens ipsum in sublime naturâ identidem tendit; sed videmus aërem cum ventus flat, obliquam habere motionem; qua igitur de causa id contingit? hæc quæstio habet; & ratio quæstionis, quæ omnia problemate 13. sect: 25. continentur hisce verbis. *Cur aër non fertur sursum? si enim venti, aëre à calore moto, oriuntur, ignis autem in sublime ferri naturâ aptus est, sanè ventus sursum impetum facere deberet: Siquidem mouens sursum versus pellit, & quod mouetur sic ferri naturâ aptum est: nunc autem apparet obliquam lationem aërem efficere.* Solutionem modò videamus. Respondet igitur Arist: ventos aëremque obliquè meritò ferri, quoniā aër hoc motu ex se non mouetur, sed ab alio, scilicet ab exhalatione; si enim ex se moueretur, quia libentius deorsum tendat ob vapores, deorsum etiam potius iri motum. Verum ab exhalatione mouetur ita temperata, vt in ea neutrum principium superet; si enim vinceret calor, præterquam quòd venti omnes calefacerent, sursum aërem iri latum, quoniam (vt suprà expositum est) caloris ignisque latio huiusmodi sit secundum naturam; itaque cum in exhalatione quæ aërem mouet, coërcito calore neutrum principium imperium teneat, sed alterum sursum, alterum deorsum impetum faciat, exhalatio ipsa propter pugnam hanc manere non possit, obliquam meritò oriri lationem, ipsumque aërem eodem motu ab exhalatione pulsum obliquè ferri; propterea ventorum obliquam esse motionem. Hæc solutio est quam ad finem problematis 48. Sect: 26. adfert Aristoteles his verbis. *Quoniam aër neq; à se ipso motus, neque à calore superatus huiusmodi fertur latione, atq; hoc quidem indè perspicuum est, venti enim si calor superaret non solum calefacerent sed sursum etiam mouerentur, ignis namque talis est: frigidum verò deorsum ferri suâ naturâ aptum est: at venti meritò obliquè feruntur; cum enim hoc quidem sursum, illud verò deorsum impetum faciat, & neutrum superat, manere autem nequeat,* in-

iure obliquam fieri oportet lationem. Hæc Aristoteles. Quæ quidem verba vt benè notat Fridericus Bonauentura pars sunt alterius problematis anteà citati, illisque caput deest, & propositio in aliũ locũ transportata, quod iniuriæ temporum ascribendum videtur.

35. Ad hæc Aristoteles, de sideribus transcurrentibus agens, ita scribit. *Vt plurimum autem mouentur ad latus, quia duabus feruntur lationibus, vi quidem deorsum, naturâ verò sursum. Omnia enim hæc per diametrum feruntur; propterea & transcurrentium siderum latio plerunq; fit obliqua.* Quẽ locum explicans Olympiodorus, contrarietatem permixtionemque hanc motuũ, obliquæ lationis, causam esse scribit.

36. Non dissimili ratione idem Aristoteles docet obliquum ideò Typhonis esse motum, quoniam quod antè est, ne progrediatur, prohibet; quod à tergo est impellit. ὥστ᾽ ἀναγκάζεσθαι εἰς τὸ πλάγιον ᾗ οὐ κωλύεται φέρεσθαι· *vt necesse sit in obliquum qua parte non prohibetur ferri.*

37. Demum motuum contrarietatem, causam esse obliquæ motionis, etiam ex lib: Aristot: de animalium ortu doceri potest. Dũ namque Aristoteles causam simplicis & crispi pili inquirit, ita scribit. *Simplex autem aut crispus pilus gignitur ob exhalationem, quæ pilis inest; si enim fumida extiterit, cum sit calida & sicca, crispum pilum efficiet; inflectitur enim, quoniam duabus fertur lationibus; terreum enim deorsum, calidum sursum fertur.* Vnde & Auerroës Aristotelis verba exponens ita scribit. *Quia fumus ex quo pilus crispus oritur, est compositus ex portione ignea & terrea, propter quam compositionem, quæret portio terrea impellere ipsum deorsũ, & ignea sursum; quare contingit pilum inflecti, propter hos duos motus contrarios.*

38. Huius quoque sententiæ fuisse Theophrastum Arist: discipulum docet Alexander: qui ex mente Theophrasti obliquæ ventorum motionis causam adfert hanc, quod non simpliciter ex calida & sicca exhalatione oriantur: ita enim sursum ferri eos oporteret. Vbi per qualitatem siccam eam intelligit, prout in igneã naturam transit, non prout terream dicit portionem, cum alioqui & terrea exhalationis pars sicca dici debeat.

39. Quin etiam idipsum de Theophrasto scribit Olympiodorus his verbis. *Etenim Theophrastus inquit, in fumida hac exhalatione mixtam esse Substantiam quandam igneam & terream, quæ quidem mota contrario motu, &*

tu, &

tu, & pugnantes obliquam efficiunt motionem &c. Et alibi: *Dicebat enim Theophrastus, ventos obliquè moueri propterea, quòd eorum materia sit dissimilaris, videlicet fumida exhalatio; cum enim partim quidem sit terrea, partim leuis, hoc quidem deorsum impetum faciente, hoc verò trahente sursum, oritur medius quidam motus obliquus, ob idq; obliquè venti mouentur.*

Quinimò & eadem Theophrasti mens ex lib: eius de ventis in- 40
telligi potest, inquit namque. *Quod autem ipse aër neq; à semetipso motus, neque à calore superatus, eiusmodi feratur latione, indè perspicuum est; si enim à semetipso moueretur, quia suâ naturâ frigidus sit, & multo vapore præditus deorsum ferri deberet: si verò à calore, sursum: ignis enim latio secundum naturam talis est. Nunc autem veluti ex ambobus mixta ventorum motio est, quia neutrum superat.* Quibus verbis Theoph: explicans obliquæ motionis in vento causam, seorsum aërem sumit, & contemplatur, seorsumque rursus igneam exhalationis partem, quam de more τὸ θέρμον id est *calorem* appellat, atque dubitationem proponit, antequam veram huius effectionis causam adducat, nimirum venti motus obliquus, vel ab aëre causatur, vel exhalatione. Non quidem ab Aëre, quoniam aër tanquam vaporosus & humidus ad frigiditatem inclinat, subindeque ad grauitatem, ideoque deorsum impetum facit: nec rursus ab ipsa exhalatione quæ aërem mouet, quoniam exhalatio per se sumpta, ex sua natura, tanquam calida, & materiæ igneæ, fertur in sublime, vt cum è terra sursum conscendit; vnde si aërem superaret, sursum illum moueret (intelligit enim de motu recto simplici Theophrastus, siuè is sursum fit, siuè deorsum.) Posteà dubitationem tollens Theoph: ita concludit. *Nunc autem veluti mixta ex ambobus latio est, quia neutrum superat*: neutrum inquam, non aër, neque calida igneaque pars exhalationis, sed neutrum principium, grauitas scilicet, & leuitas, vt sensus sit. Venti motionem mixtam esse, ex motu sursum, & ex motu deorsum, proindeque obliquam, quia neutrum superet in mouente causa principium. Quibus clarè innuit Theophrastus, exhalationem aliquid passam ita postquam genita est temperari, vt neutrâ naturâ, in ea superante, obliquè moueri ipsam sit necesse. Est igitur Theophr: sententia; Aërem in venti motu non ex se moueri, quatenus frigidus & humidus existit, quia deorsum moueretur; sed ab exhalatione: item non moueri ab exhalatione quatenus calor in ea vincit, quia sursum impetum faceret; sed ventorum lationem propterea obliquam esse, & mixtam ex his-

ce motibus, quia in exhalatione neutrum principium, grauitas scilicet & leuitas superat, vt non nisi obliquè ferri posſit, cum mouetur. Aërem verò eodem obliquo motu agitari, quoniam ab exhalatione sic temperata, moueatur.

41. Quod si in Theophrasti ratione per *neutrum* intelligamus aërem & exhalationem, ita vt sensus eius sit, ideò aëris & venti motum obliquum esse, quia neque aër, qui deorsum tendit, neque exhalatio quæ sursum impetum facit, superat. Hinc fit vt ex amborum latione, mixta oriatur latio. Ea sanè interpretatio nullo modo erit admittenda, etenim hac ratione exhalatio, non per se & suâ naturâ, sed ab aëre coacta, obliquè moueretur, quod nullo modo voluit Theophrastus.

42. Hoc tamen non obstat, quod venti motus, obliquo modo, ex supero aëre deorsum communiter tendat & inclinet, (ex nubium enim loco cum moueri incipiunt, terram versus, impetum facere, licet obliquè, ventos obseruamus) aëris namque natura, quæ facilius deorsum moueri patitur, inclinationem eam ventorũ versus inferna mirificè adiuuat.

VENTORVM NVMERVS ET SPECIES.

43. IN ventorum numero assignando, non vna est Physicorum, Medicorum, Astronomorum, & Geographorum sententia: varietas tamen illa omni vacat culpa, cum varij varios sibi habeant præscriptos scopos.

44. Plurimi crediderunt, ventos regionibus omnibus communes, ad quatuor summa genera reduci, superfluumque esse plures ventorum species ponere: ita vt pro quadruplici cæli & terræ partitione, quatuor quoq; venti constituantur. Orienti Eurũ; Occidenti Fauonium; Meridiei Austrum; Septentrioni Boream particulariter attribuentes.

45. Galenus octo ventos posuit: facta namque figura orbis terrarũ, diuisaq; in quatuor partes. Orientem, Occidentẽ, Meridiem, & Septentrionem, principes quatuor ventos constituit. Subsolanum, Fauonium

uonium, Auſtrum, & Aparctian. Inter qúos quatuor alios collocat. Nam inter Subſolanum & Auſtrum, poſt ortum Solis hybernum ponit Eurum; inter Auſtrum & Fauonium poſt hybernum Solis occaſum Africum; inter Fauonium & Aparctian poſt Solis occaſum æſtiuum, eum qui Caurus nominatur; Inter Aparctian & Subſolanum, poſt occaſum æſtiuum, Aquilonem.

Ariſtoteles vel decem vel vndecim ponit ventos, quorum Aquilo à polo, Auſter à Meridie ſpirat: ſex ab ortus & occaſus ternis punctis præcipuis; duobus videlicet Solſtitijs & Æquinoctiali. Nam ab ortu Æquinoctiali ſpirat Subſolanus; ab ortu Solſtitij æſtiui Cæcias; ab occaſu eiuſdem Argeſtes; Ab occaſu Æquinoctiali Fauonius; ab ortu ſolſtitij hyberni, Vulturnus; ab occaſu eiuſdem Africus. Inter quos ſibi opponuntur Auſter & Aquilo; Item Cæcias & Africus; ſic Vulturnus & Argeſtes; Fauonius præterea & Subſolanus. Deindè duos alios ſtatuit, circa circulum ſemper apparentem, Meſen & Thraſcian, quibus nullum ponit contrarium, *niſi fortaſſe* inquit *Thraſcia Phœnicias*, qui vndecimus erit, *opponatur*. 46.

Plinius Varronem ſecutus duodecim ventos conſtituit, ita vt terni à quatuor mundi cardinibus, penes quos diſtinctionem ſumit, ſpirent. Atque in omnibus cum Ariſtotele conſentit; niſi quòd inter Auſtrum & Africum ponat Libonotum. & quod Boream ſiue Aquilonem ab Aparctia diſtinguens, nullâ Meſis factâ mentione, in huius loco illum collocat, & non ita Phæniciam ac Euronotum eſſe idem cognouit. 47.

Huc referendum ſchema duodecim ventorum antiquorum.

Species porrò hæ ventorum licet à Philoſophis deſcriptæ ſunt ſpeciatim, pro ijs qui habitant ſub Æquatore (his namq; ab occaſu brumali Africus; ab ortu Eurus prouenit) poſſunt tamen accommodari nobis zonam temperatam inhabitantibus, ſi non puncta ortus, ſed tractum potius intelligamus. Itaque ortus bruma- 48.

 lis

lis, occasus item brumalis, tractus cæli censendi sunt, rectà illis punctis respondentes, ex quibus venti illi oriuntur; aut terræ partes tractibus illis subiectæ. vnde Eurus & Africus à Brumali ortu & occasu prouenire dicũtur, quia videlicet ex eodem illo cæli tractu atq; ex eadem parte illa à qua nobis sunt ortus & occasus brumales oriuntur. Sed etiam dici potest Austru m prouenire, ex illo latere cursus Solis, hoc est ex eo tractu, qui ad alterum latus cursus Solis vergit, & ex puncto, qui lateri illo in Tropico rectâ respondet Austrũ ad nos aduentare. Itaque cùm nos in zona temperata degentes, loca ex quibus venti oriuntur contemplamus, ita ea intuemur, tanquã si sub Æquatore essemus, ideoque ex vtroque latere cursus solis ventos ad nos progredi dicimus: verè namque nostri respectu, Austri, Euri, & Africi ex vno latere ad nos veniunt, Cæcias, Aquilo, & Argestes, ex altero, scilicet septentrionali. Diametri autem secundum quas fit oppositio, in Horizonte non totius terræ, sed nostræ duntaxat habitabilis, sunt desumendi.

49. Præter hoscè ventos, alij præterea sunt, qui in quacunque regione & terræ situ possunt solentq; excitari, quales sunt Ecnephias, Typhon Præster & huiusmodi, de quibus agit Aristoteles 3. Meteor.

50. Sunt præterea multis regionibus venti ἐπιχώριοι, qualis Apulis is est, quem Atabulum vocat Galenus, qui, vt fama est, ita morbosus existit (ad Austrorum enim naturam tendit) vt omnes ferè incolas ictericos faciat. Sic Phasianis proprius est, quem Cenchron appellant. Athieniensibus quoque familiarem esse Scheronem (qui paululum ab Argeste deflectitur) reliquis Græciæ populis ignotum testatur Plinius. In Narbonensi Gallia Circius ita peculiaris est, & frequens, vt cæteræ vicinæ prouinciæ vix eum excipiant.

51. Sunt & venti determinati ratione temporis exortus eorum, vt sunt Prodromi, Etesiæ, Ornithiæ, & id generis alij.

52. Nautæ demum vnà cum Geographis plures ponunt ventos, qui vti distinctioni terræ sunt vtilissimi, ita ab hac nostra tractatione, in qua naturã & effecta ventorum potissimùm consideramus omnino alieni: ideò nomina eorum in schemate proposita, huic nostræ tractationi sufficiunt.

Sequitur huc spectans quadratum nauticum,

Austrum à Meridie flare, ex sententia tàm Galeni quàm Arist: otel: & Plinij anteà diximus, quod etiam ex hisce Arist: verbis est manifestum καλοῦνται δὲ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς ἄρκτου, Βορέαι· οἱ δ' ἀπὸ τῆς μεσημβρίας, νότοι *vocantur* (inquit) *qui ab Arcto seu Vrsa flant, Aquilones, qui verò à Meridie Austri.* Sic in ventorum descriptione speciali, Austrum Aquiloni contrarium statuit, ita scribens ἠ ἔστω ἐφ' οὗ ἡ ἔσω, ἄρκτος τούτῳ δ' ἐναντίον δ ἐξ ἐναντίας, τὸ ἐφ' οὗ θ, μεσημβρία· ἄλλη δὲ διάμετρος ταύτην πρὸς ὀρθὴν τέμνουσα. *Boreas* (inquit) *ab* η *hic enim Vrsa, Contrarius autem huic Auster à* θ, *meridies enim est vndè spirat,* η *autem & θ. contraria sunt, cum per diametrum distent.* 53.

Verùm quæ loca per Meridiem intelligenda sint apud Aristotelē dubitant non pauci, aliquandò namque ortum Austri definit, locis quæ Sol nō adit. Nam causam referens cur Aquilo & Auster sæpiùs flent ita inquit. ἔτι δὲ τοῦ γίνεσθαι μάλιστα πνεύματα ἀπ' αὐτῆς τε τῆς ἄρκτου καὶ μεσημβρίας, τὸ αὐτὸ αἴτιον· πλεῖστοι γὰρ βορέαι καὶ νότοι γίνονται τῶν ἀνέμων· ὁ γὰρ ἥλιος τούτους μόνους οὐκ ἐπέρχεται τοὺς τόπους, ἀλλὰ πρὸς τούτους καὶ ἀπὸ τούτων, ἐπὶ δυσμὰς δὲ καὶ ἀνατολὰς ἀεὶ φέρεται. *adhuc* (inquit) *quod fiant maximè ab Vrsa & Meridie venti, eadem causa est: omnium namq; ventorum plurimi Aquilones vt Austri spirare solent. Nam Sol hac loca non adit, sed ad ea sese applicat, ab eisq; dimouet: ad occasum verò & exortum continuè fertur.* Quibus verbis dicit Austrū perinde ac Aquilonem ex locis ad latera cursus solis collocatis, & quæ sol ipse οὐκ ἐπέρχεται, hoc est *non peruadit* initium ducere. Meridiana autem loca sol non attingit duntaxat, verùm etiam pertransit. Alibi idē Aristoteles expressis verbis asserit, ab æstiua conuersione proficisci, cum inquit. ὁ δὲ νότος ἀπὸ τῆς θερινῆς τροπῆς πνεῖ, καὶ οὐκ ἀπὸ τῆς ἑτέρας ἄρκτου· *Auster* (inquit) *ab æstiua versione & non ab altera Vrsa spirat.* Quod idem paulò post repetit scribens. ὅτι μὲν οὖν ὁ νότος οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ ἑτέρου πόλου πνέων ἄνεμος, δῆλον· *Quod igitur Auster ab altero polo non spiret manifestum est.* 54.

Verùm Meridiem à polo Antarctico apud bonos authores distingui solere satis docet Aphrodiseus ita scribens. *Inquit autē habitabilem plagam, quæ nostra est, ad superiorem vergere polum, alterum verò ad meridiem,* 55.

em, & ad alterum polum: non quidem quod meridies ad ipsum polum sit, sed quia habito respectu ad nos, versus easdem partes, sit polus, secundum quas meridies nobis est. Quin etiam definit idem Aphrodiseus, propriè per meridiem intelligi æstiuum circulum hisce verbis. *Videtur autem Aristoteles modò exquisitè & exactè inquirens ostendere, quomodo ab æstiuis versionibus ad nos spirat Auster: sub his enim meridies nobis est. Efflans igitur illinc versus Vrsam, ad habitabilem nostram accedit, quæ ad Vrsam vergens sita est. &c.*

56. Sed quomodo Auster flat à locis, quæ vnica Sol non peruadit, cum æstiuam conuersionem à Sole adiri sit manifestum? An οὐκ ἐπέρχεται idem est quod οὐκ ἀεὶ φέρεσθαι. id est. *non semper fertur?* cum enim Sol quotidie ad ortum & occasum accedat, non ita tamen ad circulum æstiuum & Vrsam.

57. Quomodo demum Sol inter Austrum & Aquilonem videatur, inquirendum, cùm tam Auster quàm Aquilo ab eodem latere videantur. An Arist: sententiam intelligendam esse, de ijs duntaxat, qui sub Æquatore degunt, asseremus? an verò dicendum Aristoteli & Theophrasto Austrum & Aquilonem ex locis quę ad alterum ex duob⁹ lateribus cursus Solis sunt excitari, & ex altero latere lationis ipsius? sicque ἐφ᾽ ἑκάτερα nihil aliud significare dicemus quam πλαγίον: neq; enim semper vtramq; partem vel loca vtraque dicit, sed interdum alterutrum. An locum, ex quo dicitur flatus aliquis aduenire, cæli potiùs tractum (vti & anteà monuimus) indicare dicemus? An demùm Auster poterit ex locis Æquatori subiectis prouenire? sicq; Solis cursum interiectum esse inter eos terræ tractus, ex quibus Austri manant, & Aquilones, verè licebit affirmare.

58. Aliquando origo Austri per certam regionem ab Arist: determinatur, nam vel in Libya, vel propè eandem oriri asserit. Vbi Libyæ nomine, eum potissimùm intelligit terræ tractum, qui ab æstiuali circulo ad nos vergit, atque sub eo collocatur, & circiter: vnde & Ægyptum origini Austri vicinam esse cum Aristotele statuit Theophrastus.

59. Quin etiam Aristoteles opinionem suam hiscè probat verbis. ὅτι μὲν οὖν ὁ νότος οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ ἑτέρου πόλου πνέων ἄνεμος, δῆλον· ἐπεὶ δ᾽ οὔτ᾽ ἐκεῖνος οὔτε ὁ ἀπὸ χειμερινῶν τροπῶν· δέοι γὰρ ἂν ἄλλον ἀπὸ θερινῆς εἶναι τροπῆς, οὕτω γὰρ τὸ ἀνάλογον ἀποδώσει, νῦν δὲ οὐκ ἔστιν. εἷς γὰρ μόνος φαίνεται πνέων ἐκ τῶν ἐκεῖθεν τόπων, ὥστ᾽ ἀνάγκη τὸν ἀπὸ κεκαυμένου τόπου πνέοντα ἄνεμον, εἶναι νότον· *Quod igitur Auster ab altero polo*

non

non aspiret, manifestum est, quando nec ipse quidem ab hyemali conuersione spiret. Nam alium ab æstiua venire conuersione oporteret, sic enim proportionis ratio exigit. Nunc autem non est. (nempe non videmus duos ventos ex illis locis flare) *solus enim vnus ex illis locis spirare videtur. Quare necessariò sit, vt ventus qui ab exusta terrarum parte spirat, Auster sit.* Rationis Aristotelicæ vis est hæc. Si ad nos flaret ventus ab hyemali conuersione, etiam ab æstiua flaret alter, sicque duo essent Austri, quod doceri potest ex proportione Solis ad loca. Nam Sol sicuti se habet ad brumales conuersiones, ita aliquando ad æstiuas; sed hoc repugnat experientiæ. Vnum namque duntaxat ventum indè spirare percipimus, igitur ab æstiua conuersione, tanquam loco nobis viciniore spirare censendus est.

Quod verò ponit tanquam manifestũ Aristoteles, duos ventos è locis illis nobis non spirare, sed vnum tantum, indè habere firmitatem videtur, quia cum Sol ingreditur Aquarium, non solùm Etesiæ Australes non spirant ita continenter, veluti Aquilonares, cùm idem Leonis initium tenet, sed nullo modo spirant; etsi Sol distantiæ ratione in Aquario existens, eandem habeat ad brumales versiones proportionem, quam habet ad æstiuas, cum in Leone reperitur; quæ res argumento est, vnum tantùm ventum nobis è latere Meridionali, atque ex vno tantum loco exoriri. 60.

Manifestum hinc est errasse Valleriolam, dum inquit Aristotelem prædictis verbis sui immemorem dixisse, nullum ventum ab æstiua conuersione flare, maximè enim inde flare Aristoteles asseruit, sed deceptus videtur versione latina, quæ verba illa, νῦν δὲ οὐκ ἔστι, ita transfert. *Nunc autem nullus est*, Ventus scilicet, qui ab æstiua conuersione spiret. Quæ versio omnino ipsi Aristoteli repugnat. 61.

Aliud prætereà est Aristotelis, à conuersione æstiua oriri Austrum, argumentum, quia in Australi extra Libyam mari nec flant Noti, nec Aquilones, sed horum ventorum loco, Subsolani ibi & Fauonij spirant plurimi; Quam veritatem nauigationum noui orbis libri mirificè comprobant, qui idem testantur, ac prætereà vnũ Aquilonem loca illa nunquam aut rarissimè peruadere; vti videre est in eo tractatu qui inscribitur *Nauigatio ad Insulam, S. Thomæ*, atq; in prima epistola Andreæ Corsalis, & alibi, quibus lib: docetur, regiones & maria Aequatori subiecta non Austris, & Aquilonibus, sed Fauonijs & Subsolanis perflari, adeò vt in Africo mari & Indico, 62.

C . . . . . à Maio

à Maio mense ad Octobrem, occidui flatus perpetuò dominentur, alijs sex mensibus Fauonij. Quod totum etiam prędicto loco indicauit Aristoteles.

DIFFERENTIAE VENTORVM.

63. Ventorum differentias potissimùm ex temperamento desumi, primus ostendit Diuinus Hippocrates: cùm enim doceret quænam medico cognitu sunt necessaria, post anni tempora, subdit. *Deinde verò ventos & calidos & frigidos &c.* Hippocratem insecutus Aristoteles, & ipse hanc differentiam assumit, ita scribens. *Ventu igitur frigore & calore atq; tepore distinctu &c.* Nobis itaq; hæ differentiæ potissimùm sunt considerandæ.

64. Aquilonij, qui videlicet naturam Septentrionalem habent, frigidiores sunt, sicuti & à Meridionalibus partibus exorientes, citra controuersiam omnes calidi.

65. Verùm huic distinctioni contrarius esse videtur Hippocrates, ventos omnes frigidos & humidos esse naturâ asserens: cuius quoq; rationem adducit hanc, quòd videlicet à niuibus, gelu, stagnis, fluminibus, locisque humidis proueniant; ideoque inquit omnes pro sua natura refrigerant, verùm pro locorum diuersitate magis minúsue.

66. An forsan dicendum, quod si ventorum materiam remotam, & subiectum ex quo proxima materia ventorum generatur, quinimò & modum quo propriam formam assequatur, consideremus; omnes venti frigidi dici possint, quia videlicet (vt ex Hippocrate diximus) à locis frigidis potissimùm eleuantur, & à materia frigida, terra videlicet, aqua imbuta niue, glacie, &c? Si demùm exhalationẽ spectemus, ea venti naturam nondum suscepit, sed fumus potiùs dicitur, quousque sursum atque in superam aëris regionem tendens, tandem deorsum mota, ventus efficiatur.

67. Accedit quod venti calidi & frigidi dicantur Philosophis, ratione regionum per quas perflando transeunt; quamuis enim ratione originis frigidi sunt, omnes tamen si per calidas regiones ferantur, calidi euadunt. Quod ex passiuis qualitatibus hoc modo ostendi posset: cùm enim certum sit exhalationes naturâ suâ esse siccas, venti tamen qui ex exhalationibus constituuntur, quandoque humidi persentiuntur, quid ergo prohibet eosdem nonnunquam suscipere caliditatem?

Hisce

Hisce astipulatur Hippocrates; postquam enim ventos omnes 68.
frigidos esse docuit, subdit, *Verùm propter situm regionum & locorum, per quæ venti ad singulas regiones accedunt, diuersi euadunt, frigidiores, calidiores, humidiores, ficciores, morbosiores, & salubriores.* Similem quoque ferè rationem adducit Aristoteles, dum quærit, quare nobis Auster calidus, ijs vero qui Africam & Libyam incolunt frigidus sit?

Huc etiam commodè referuntur ventorum differentiæ, quæ ab 69.
ortu & occasu desumuntur; etenim Orientales occidentalibus calidiores statuit Aristoteles, & post eum Galenus. Causam adfert Aristoteles, quòd loca quæ ad ortum sita sunt, diutiùs sub Sole morentur. Ratio hæc omnibus parit difficultatem, cùm ad omnes terræ partes, quæ à Sole quotidiè illuminantur & calefiunt, æqualiter ille accedere videatur, quamuis horis diuersis: difficileque sit videre, quomodo orientales partes diutiùs Solem habeant super se, quàm occidentales, cum Sol neque conquiescat, neq; respectu harum duarum partium moueatur inæqualiter.

Aphrodiseus & Olympiodorus conantur Aristotelem explica- 70.
re, & à calumnia vindicare, dicentes quòd Sol orientalibus primus adest quam occidentalibus, & statim illas partes radijs suis calefacere solet, semperq; in eo officio persistit, donec occidat; Occidentales verò sicuti tardiùs illuminantur, ita etiam breuiori tempore illuminatæ calefiũt, quod & tardiùs radios excipiant, & citò deserãtur.

Verùm hæc à rei veritate aliena iudicamus; nam cum Sol Hori- 71.
zontem transgressus, terræ nostræ hemisphærium illuminare incipit, tàm orientalibus quàm occidentalibus æquè radios impartitur. Quod si occidentales tardiùs vim radiorum Solis persentire dicamus, illas easdem etiam tardiùs deseri affirmabimus, vnde æqualis erit & par ratio. Accedit, quod is qui oriens nobis est, alijs occidens sit, & qui occidens nobis est, alijs oriens, totque occidentes & orientes habeantur, quot in longitudine sunt habitationes.

Auerroës hanc rationem corroborat duabus alijs, quarum pri- 72.
or hæc est, quod oriens dextra pars sit cæli, occidens sinistra, ideoq; meritò oriens sit calidior. Verùm hæc ratio friuola est. Videtur namque Auerroës cælum animal aliquod constituere, in quo, ratione cordis (quod fons caloris existit) vna pars alterâ est calidior: quinimo animalia in sinistris calidiora sunt, ob sedem caloris & fontem qui in ea parte consistit. Accedit quòd hæ partes non reales

 sunt,

ſunt, ſed imaginariæ; Quæ enim nobis orientales ſunt, alijs ſunt occidentales; imaginaria verò effectuum realium cauſæ eſſe nequeunt. Nec plus virium altera eius habet cauſa, cum enim inquit orientalibus partibus per octo horas Sol adſit, nimirum ſex ab ortu ad Meridiem, deinde duabus ante ortum. Occidentalibus verò ſex, illis duntaxat, quæ à Meridie ad occaſum intercedunt: duabus autem horis poſt occaſum non poteſt calefacere, quia recedens frigori minùs reſiſtit. Verùm vt Auerroës aliquam adducat cauſam maioris caloris in orientalibus partibus quàm occidentalibus, non tamen Ariſtotelis rationem explicat, cur partes orientales diutiùs ſub Sole morentur.

DE QVALITATIBVS SINGVLORVM VENTORVM.

73. Subſolanus ἀπηλιώτης ab ortu Solis æquinoctiali venit, ſuauis eſt, purus, temperatus, & ſaluberrimus, vt docebat Auicenna in 2. Fen. 1. doctrina, 2. Summa, 1. cap: 10. Temperies autem hæc in paſsiuis qualitatibus intelligitur. Dicitur autem temperatus, non quòd perpetuò talis, ſit, ſed quòd cum in principio diei & in fine noctis exoriatur, minùs humidus eſt, ſed potiùs leuiter exſiccat: ſecus quàm ſi in fine diei & in principio noctis flare incipiat, qua ratione exceſſus humiditatis non notabilis, ſiccitate eiuſdem tollitur.

74. Quòd verò quibuſdam regionibus, vti Italis, & potiſsimùm Neapolitanis inſalubris ſit & pluuioſus, id non ex natura venti procedit, ſed ratione ſitus regionum ad mare orientale.

75. Idem ventus in actiuis qualitatibus ad caliditatem vergit, non multum tamen excedit, vt rectè docet Ariſtoteles.

76. Quod ſi Ptolomæo. 1. de aſtrorum iudicijs particula, 39. Subſolanus calidiſsimus dicitur, de orientali qui ab exortu brumali ſpirat, quique Vulturnus nuncupatur, intelligendum eſt.

77. Eurus ſiue Vulturnus εὖρος calidus eſt, vt docet Ariſtoteles, cuius cauſa ſunt radij ſolares, rectiùs per puncta ortus brumalis recepti. Siccus quoque naturaliter, licet proceſſu temporis ab Auſtris humidus fiat & pluuioſus, ideoque naturam ſuam amittat, vt rectè docet Plinius 2. Hiſt: Natur: cap. 46.

Cæcias

Cæcias καικίας naſcitur à pũncto ortus æſtiui; cumque orientalis ſit, calidus eſt, ſed minùs quàm duo reliqui orientales, ideoque eorum comparatione aliquando ab Ariſtotele & Theophraſto vocatur frigidus. Humidus quoque eſt non parum. Cum enim medius ſit inter Subſolanum & Meſen, ab illo mediocrem nanciſcitur humiditatem, frigiditatem autem mediocrem à Meſe; hanc enim cauſam dicebat eſſe Ariſtoteles, cur cælum vehementer nubibus denſet Cæcias. 78.

79. Septentrio ἀπαρκτίας ab Vrſa ſpirat frigidus eſt, quod ad illa loca vis radiorum Solis non perueniat: Siccus quoque, quod exhalatio magna ex parte educatur.

80. Serenitatem quoque ex ſua natura inuehit, tùm quia recto quaſi tramite (ex propinquis enim ad nos peruenit) flare videatur. Quare nubes illi obuias diſsipat, pluuiarumque omnino materiam conſumit: tùm quia frigiditate & ſiccitate quo minus vapores eleuentur à terra, impedit: quinimo terram condenſat & exſiccat, ita vt vapores eleuari nequeant.

81. Hippocrates dum Boreos humidos & pluuioſos ſtatuit, per Boreos more Geographorum, Aſtronomorum, quandoque etiam Medicorum, laterales intelligit verſus Subſolanum, atque ratione eius Aquilonium annum dicere licebit pluuioſum.

82. Meſes μέσης (aut Aquilo ſiue Boreas, ſi eum cum Medicis & Geographis ab Aparctia ſeparantes eundem cum Meſe faciamus) lateralis eſt Aparctiæ verſus ortum, frigidus quidem eſt ſed humidus. Atque ea ratione Ariſtoteli & Theophraſto niuoſus, non adeò tamen vt Septentrio, quod minori frigiditati adiunctam habeat humiditatem.

83. Thraſcias θρασκίας Aparctiæ collateralis eſt, occidentem verſus: eandem ferè naturam habet atque Septentrio; frigidus enim eſt & ſiccus, quare naturâ ſuâ ſerenitatem parit. Verùm quoniam in frigiditate & ſiccitate remiſsior eſt Aparctiâ, ſi materiam nactus fuerit, remiſsiores etiam parit effectus, hoc eſt non niuem, ſed grandinem.

84. Fauonius ζέφυρος ab occaſu Æquinoctiali venit, in actiuis qualitatibus ad frigiditatem vergens, teſte Ariſtotele & Theophraſto, qui etiam frigiditatis hanc tradit rationem, quòd veſperi ex mari locisque apertis ſpiret, & poſt hyemem Sole vixdum reuigente aut Autumno, cum Sol non multùm viget. Minùs tamen eſt frigidus

 quàm

quàm Boreas & collateralis eius Argestes; atque hac ratione temperatus aliquando dicitur Aristoteli.

85. Sed difficultatem parit, quod Aristoteles æstuosos esse Fauonium, Austrum, & Vulturnum, asserat. An forsan æstuosus dicetur, quod æstate spiret? Id sanè ridebunt Græcæ linguæ periti. Prætereà Aristoteles loquitur de eo non seorsim, sed cum Austro & Vulturno, qui non æstuosi dicuntur quod æstate spirent, sed quod naturâ calidi. Accedit quod Fauonius raò admodum æstate spiret, sed initio Veris & Autumni, vt docent Aristoteles, Theophrastus, & Plinius.

86. Neque etiam comparatione ad reliquos æstuosus dici potest: respectu namque ventorum Septentrionalium tantummodo talis est, cum respectu cæterorum omnium, vti Orientalium & Meridionalium, frigidus sit. Prætereà ponitur ab Aristotele inter Austrum & Eurum, qui non calidi & æstuosi comparatione dicuntur, sed absolutè & naturâ suâ.

87. Placet itaque nobis Ludouici Septalij sententia, qui nomen illud καυματώδης quo vtitur Aristoteles, non æstuosos, sed ignitas impressiones, siue καύματα ferentes interpretatur. Cum enim eo loco Aristoteles non de primis qualitatibus ampliùs verba faceret, sed de actionibus ex natura, & qualitatibus prouenientibus, non erat quod de primis qualitatibus ventorum horum trium (de quibus anteà egerat) iterum tractaret, Dixerat enim Mesen esse νιφετώδης, sed magis Septentrionem. Mox inquit χαλαζώδης δ' ὁ ἀπαρκτίας καὶ θρασκίας καὶ ἀργέστης: hoc est, *grandinosus autem Septentrio, Thrascias, & Argestes*, Demùm subdit καυματώδης δὲ νότος καὶ ζέφυρος καὶ εὖρος. Hoc est, *caumata ferentes Auster, Fauonius, & Vulturnus*. Ita quoque propemodum loquitur Theophrastus in libello de signis ventorum.

88. Cur verò Fauonius ignitas pariat impressiones causa est hæc. Ignitarum impressionum aërearumque materia Aristoteli est exhalatio, cui iuncta sit materia quasi vnctuosa. Fauonius autem ob teporem & naturalem humiditatem, naturam sortitus est vnctuosis quàm proximam, ideò eo spirante, igneæ impressiones sæpenumerò apparent.

89. In passiuis qualitatibus Fauonius humidus est, & quibusdam regionibus valdè insalubris: vti Vasconiæ, cui tantum perniciei afferre asseruit Scaliger, vt raò sine incolarum pauore & detestatione ingruat.

Italiæ

Italiæ tamen alijsque regionibus quam plurimis ſiccus eſt & ſalubris, ſerenitatem pariens, Vnde & à Poëtis, tantoperè commendatur, quod Veris initium iam adeſſe nobis oſtendat. De eo ita canit Homerus. 90.

Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο διαπνείουσιν ἀῆται.

Hoc eſt ſecundum Gazam.

Sed Zephyri aſſiduè ſpirant, ventiq́ſalubres.

Poëta quoque Italicus.

Zefiro ſpira, el bel tempo rimena.

hoc eſt. *Aſpirat Zephyrus redeunt iam tempora clara.*

Quapropter Ariſtoteles moderatiſsimum, gratiſsimum, iucundiſſimum, & ſereniſsimum appellat. Quemadmodum etiam Celſus cùm Fauonium ſaluberrimum ſtatuit. Veſperi autem magis hanc ſalubritatem habet, vti docet Auicenna.

Argeſtes ἀργέστης, Corus, Olympias, Schiron, Galeno Caurus, frigidus eſt, frigidiorq́; reliquis occidentalibus quòd Septentrioni vicinior ſit; grandinoſus eſt, vt anteà ex Ariſtotele oſtendimus. 91.

Africus λὶψ Fauonio lateralis eſt, ſubfrigidus, ſed inſigniter humidus Ariſtotele teſte, quod medius ſit inter Fauonium & Libonotum; Vnde ab illo frigiditatem mediocrem, ab hoc inſignem humiditatem nanciſcitur. Quapropter nubibus cælum denſare, dicebat Ariſtoteles. 92.

Auſter νότος è medio plagæ Meridionalis ſpirat, in origine ſua frigidus eſt, neque id mirum, tum quòd hoc omni vento ſit commune, tum quòd Ariſtotele & Theophraſto referentibus regio Meridionalis adeò ſit montuoſa, vt niues glacieſque ei non deſint, ex quibus Auſtri excitati, frigidos in ſui ortus initio ſe præbeant. Glaciem itaque & humidam materiam ſufficientem habent ea loca, licet non tantam, quanta ad Septentrionem congregatur. Hinc etiam Eteſiæ Auſtrini minores ſunt, minuſque continui quàm Septentrionales. 93.

Frigiditatis aliam rationem adducit Valleriola, nimirum quòd Auſter à polo Antarctico, qui frigidus eſt, proueniens, in Libya fiat calidus. Verùm rationem hanc, ſalua pace illius viri, ineptam iudicamus. Nam ſi Auſter à polo Antarctico exoriens, ad Libyam perueniret, quomodo totam torridam zonam pertranſiens, circulum inquam Capricorni & Æquatorem calidus Libycis non aduétaret? 94.

taret? certè non poteſt hoc non fateri Valleriola, qui Auſtrum in Libya frigidum, ad nos calidum, peruenire ſcribit, quoniam in itinere caleſcit.

95. Idem Auſter ſtatim poſt principium calidus exiſtit, quia ſtatim aëri Libyco, qui calidus eſt, miſcetur: Ventus namque omnis aëris quem ingreditur qualitatem ſtatim induit. Vnde Hippocrates Auſtrum in Libya calidum eſſe & ſiccum colligebat. Cum verò Auſter mare Africum ingreditur, ob vim maximam & calorem, ingentes in eo fluctus excitat, cumque humiditatem plurimam hauriat & vapores, non calidus tantùm, ſed maximè humidus ad loca noſtra accedit, vt pulchrè docuit Hippocrates hiſcè verbis. ἐν μὲν οὖν τοῖσιν ἔγγιστα χωρίοισιν ἀνάγκη τοιαύτην δύναμιν ἀποδιδόναι θερμὴν καὶ ξηρὴν, καὶ ποιέει τοῦτο ἐν τῇ Λιβύῃ, τά τε φυόμενα ἐξαυαίνεται, καὶ τοὺς ἀνθρώπους λανθάνει ἀποξηραίνων ἅτε γὰρ οὐκ ἔχων οὔτε ἐκ θαλάσσης ἰκμάδα λαβεῖν, οὔτε ἐκ ποταμοῦ, καὶ ἐκ τῶν ζώων, καὶ τῶν φυομένων ἐκπίνει τὸ ὑγρόν. ὁκόταν δὲ τὸ πέλαγος περαιώσῃ. ἅτε θερμὸς ὢν καὶ ἀραιὸς, πουλλῆς ὑγρασίης ἐμπιμπλῆσι τὴν χώρην ἐμπίπτων. ἀνάγκη δὲ τὸν νότον, θερμόν τε καὶ ὑγρὸν εἶναι, ὅκου μὴ τῶν χωρίων αἱ θέσιες αἴτιαι εἰσίν. *Proinde etiam in proximis regionibus neceſſe eſt, ipſum talem vim calidam ac ſiccam exercere, quod ipſum ſanè in Libya facit, vbi & è terra naſcentia exareſcunt, & homines latenter reſiccantur. Nam cum neq; è mari, neq; è fluuio humiditatem hauriat, ex animantibus ac Plantis humorem ebibit. Poſteaquam verò pelagus tranſierit, calidus & rarus exiſtens, multâ humiditate regionem in quam illabitur, implet: vt proinde neceſſe ſit Auſtrum calidum ac humidum eſſe, niſi regionum ſitus alterius qualitatis cauſa extiterit.*

96. Poſt Hippocratem ita Ariſtoteles θερμὸς δὲ ἐστὶ διὰ τὸ μίγνυσθαι τὸ πνεῦμα τῷ κατὰ λιβύην ἀέρι θερμῷ ὄντι καὶ διὰ τοῦτο μεγαλυκύμων, νοτίζειν ποιεῖ τὸ θέρος ἐμπίπτων τὴν θάλατταν. Hoc eſt. *Calidus autem eſt quia ſpiritus illius miſcetur aëri Libyco, qui calidus eſt, & ob id magnos flatus excitans, humida omnia reddit, æſtate in mare irruens.* Sic alibi Auſtrū calidum eſſe, quia aërem calidum ex Libya ad nos deferat, hiſce verbis concludit. ὁ δὲ νότος λήγων ὑδατώδης ὅτι ψυχρὸς ὁ πρῶτος φερόμενος ἀὴρ ἀπὸ τῆς θαλάττης. ὁ δὲ τελευταῖος διάθερμος, ὃν ἀπὸ τῆς γῆς κομίζει. *Auſter autem deſinens pluuius eſt, quoniam aër quem ipſe primum ad*

nos de mari affert frigidus est; ille verò quem postremò adducit calidus, quem è terra deportat. Atqui postremum aërem, quem calidum secum ex terra Libya afferre Austrum dicit Aristoteles, à nulla alia terra, quàm à Libyæ continente, certum est Austrum accipere posse.

Libonotus λιβόνοτος qui ab Aristotele omissus est, cum Austri sit lateralis, vicinumque habeat Liba, meritò calidus erit, in passiuis autem non mediocriter humidus ratione principalis sui, cuius naturam maximè referre debet, tum etiam ratione adiacentis Africi. 97.

Euronotus siue Phænicias, εὐρόνοτος, φοινικίας, calidus est, & humidus, minus tamen quàm Auster, cùm ad naturam Subsolani paulisper accedat. 98.

EFFECTA VENTORVM IN REGIONES QVÆ IIS PECVLIARITER SVNT EXPOSITÆ.

ET PRIMVM EFFECTA MERIDIONALIVM.

LOca Austrum spectantia multis aquis referta sunt; 99. adest enim in ijs & locus & materia et efficiens causa aquarum. Venti namque illius calor peculiaris hîc adest, qui & aërem internum alterando, & ex aquis vapores eleuando, aquas multas potest producere: potissimùm cum Austri proprium sit poros terræ aperire, atque etiam humectare; vnde vim suam faciliùs etsi non profundiùs immittens, humiditate etiam propria, vltra caliditatem aquas facilè potest excitare.

Aquæ autem hæ subsalsæ esse solent, Aristotele referente; quod 100. verum potissimùm est in locis maritimis, aut à mari non multùm remotis, quia vi ventorum Austrinorum, marina aqua magis per terræ venas siue cuniculos impulsa, nec longum tractum dimetiens, minusque etiam pura reddita, salsedinem naturalem diutiùs retinet. Verum prætereà est in regionibus versus torridam zonam sitis; cum enim Austri calidissimi sint, terram adurere & quasi incendium gignere possunt, vnde salsedo (quæ ex sicco terreno vi caloris magni attenuato & adusto, aquosoque humido permisto fit)

excitari in aqua poteſt. In locis Septentrionalibus non maritimis id vix vſpiam reperitur.

101. Prætereà aquæ huius tractus ſublimes ſunt, hoc eſt, non ex profundo ortæ; venti namque calidiſsimi & humidiſsimi aquas multas gignunt, multæ autem aquæ ſolent & ſublimes & propè ſuperficiem eſſe.

102. Demùm aquæ hæ, æſtate calidæ ſunt, hyeme frigidæ, quod ſublimitatem neceſſariò inſequitur. Nam Sol eas facilè attingere, radijſque in eas agere poteſt æſtate potiſsimùm, cum & dilatati ſunt meatus terræ, per quos & calidus ventus facilè poteſt permeare, & Solis radij penetrantes, effectus proprios poſſunt producere. Hyeme verò, cum nequeadſit tanta conſtipatio prohibens, quo minùs aër internè occluſus refrigeſcat, nec vlla adſit antiperiſtaſis, ideò facilè poris terræ patefactis, ob ventos id operantes, ambientis frigiditas pro ratione temporis, poteſt ſuam aquæ impartiri qualitatem, & in ſui ſimilitudinem trahere.

103. Homines capita humida & pituitoſa naturaliter habere par eſt; humefacto enim & calefacto aëre magis quàm par ſit, corporibuſq; noſtris addita qualitatis ſuperfluitate, capite grauamur, auditu viſuque obtuſiores ſimus, torpemus, & reſoluimur viribus. Etenim in cerebrum neruorum fontem attracto naribus aëre graui, craſſo humidoque, imò & eodem aliunde occultè fallentibus nos vijs inuecto, repletiſque ita ventriculorum cauitatibus, ſpiritu impuriore caput potiſsmùm humidum reddi, pituitaque affluere neceſſe eſt, cæteraque omnia humeſcere.

104. Hinc ſenſus omnes torpere ſenſitoriaq; humeſcere, mentiſque aciẽ remitti neceſſe eſt; quomodo enim caput ſuũ anima tanto humore grauata in altũ attollere poterit, quæ vt σοφωτάτη ſit, ξυρωτάτη prius ſit oporteat? aut quomodo eandem ob cauſam caligantes ſpiritus animæ inſtrumenta omnia ſua rectè exercebunt, quibus expeditè obeundis limpidos eos illuſtreſque eſſe neceſſe ſit? Iam ex paulò magis humido cerebro humida ſimul ideoque denſior facta neruorum ſubſtantia, præter id quod turbidioris ſpiritus progreſſum impediat, humore etiam ita reſoluta, contentionem motuum facere, aut vllam fortem poterit, aut meritò ſegne indè languidumque ad ſe mouendum quaſique reſolutum reddatur corpus to-

tum,

tùm, vt docet Hippocrates. Hic tamen effectus, tùm verus censendus est, vbi diutius flat Auster.

Aluum habent lubricam, quia corpus vniuersum humidum 105.
est; hinc Galenus docuit, dum pituita è capite ad ventrem defluit sequi alui profluuium.

Cibi appetitum habent deiectum; tùm quia materiâ non eget, 106.
tum quia concoquere non potest. Natiuus enim ventriculi cæterarumque partium calor imbecillis est, nec multam substantiam consumit, ideoque suctus non fit, appetentiaque deijcitur. Accedit quod ventriculus multis humoribus pituitosis refertus, non trahat à vicinis partibus.

Potus copiam non desiderant; ex capite namque multa pituita 107.
ad infernas partes delapsa, humidum os ventriculi reddit, vnde non potest tam vehemens sitis excitari.

Nec quoque vini copiam, citra insignem noxam admittunt; 108.
nam caput infirmum multisque humoribus pituitosis refertum, à vino facilè læditur teste Galeno; vinum autem naturam habet calidam, & facilè penetrabilem, ob partium subtilitatem, ideò promptissimè omnia permeat atque subintrat: neruosum genus facilimè replet, facilè denique sursum fertur.

MVLIERES viris magis morbis obnoxiæ sunt; cum enim fri- 109.
gidiores & humidiores, laxioris quoque & rarioris texturæ sint quàm viri, ideoque multò magis pituitosis excrementis refertæ, ideò faciliùs & promptiùs à ventis Austrinis, qui poros aperire solent, alterantur.

Ex ijsdem mulierib. plurimæ fluxionibus sunt obnoxiæ; om- 110.
nes namque capita ferè humida & multâ pituitâ referta habent, ideoq; facilè fluxionibus ad subiectas particulas nares, oculos, thoracem, fauces, vertebras, ventrem inferiorem, tum & maximè ad vterum totamq; carnem tentari poterunt; quod magis in mulieribus locum habet, ob connatam ijs materialem humiditatem, maioremque laxitatem.

Eædemque plerunque steriles esse solent; quod vtero fluxio- 111.
nibus vexato ascribendum est. Nam semen virile vel ex vtero elabitur, ob nimiam eius humiditatem, vel si retineatur, extinguitur, non aliter quàm in terra palustri cerealia semina; vt cum Hippocrate docet Galenus. His accedit, quod ob rarefactos poros, multoq; sanguine

ſanguine excrementitio, & aquoſâ materiâ aliundè ad vterum defluentibus, menſes incitati magis fluant, quàm par ſit, à quibus nempe ſterilitatem euenire ſolere, cum Hippocrate & Galeno demonſtrant Græci omnes, quinimo & inter Arabes Auicenna.

112. Sterilitas porrò hæc, non à natura prouenit, ſed à morbo; alioqui ſitus Auſtrinus fæcunditatem gigneret. Etenim fæcundæ naturæ paſsim ab Hippocrate cenſentur, quæ calidæ ſunt & humidæ. Prætereà cum vterus naturâ ſuâ frigidus ſit & ſiccus, in locis Auſtrū ſpectantibus ad temperiem reduci poſſet, caliditate & humiditate aëris ventorumq́ue adiuuante, niſi aduentitia & morboſa cauſa aliunde defluente ſterilis fieret.

113. Abortus fiunt frequentes; docent namque Hippocrates & Galenus abortum frequenter, etiam ſine manifeſta occaſione, in ijs fieri quibus multis mucoribus vteri acetabula referta ſunt, dum ligamenta præ humore graue onus ferre nequeunt, ſed diſrumpuntur. Cum igitur in regione Auſtris expoſita caput mucore & pituita refertum ſit, ad infernas tranſmittat partes neceſſe eſt Cum verò vterus cauitas ſit, eò etiam affluat oportet; vnde etiam cotyledones emoliti facilè diſrumpuntur, abortuſq́ue ſequitur, vt lib: de morbis muliebribus docet Hippocrates Auget etiam huius rei occaſionem, quod vniuerſum corpus laxum eſt, ſpina autem debilis, apertaq́ue ſatis omnia vaſcula; vnde monēte Hippocrate abortum ſuccedere par eſt. Quod ſi copioſiores quam par eſt frequentioreſq́ue fluxiones & menſtruorum albæq́ue materiæ in ijſdem ob eaſdem cauſas ſolent contingere, quid mirū ſi abortus ſequi ſoleant? Nam ſanguis Galeno docente ex ceruice vteri profluens, abortus cauſa eſt. Denique qui talem ſitū ad ventos Auſtrinos ſortiti ſunt, facilè vt poſteà docebimus alui profluuio tentantur: mulierem autem vtero gerentem aluo plurimum fluente abortire ſcribit Hippocrates.

114. Pveri conuulſionibus laborare ſolent, cum namq́ue conuulſio fieri ſoleat ab inanitione vel repletione, ea ſanè quæ à repletione fit, quæq́ue puerorum alioqui peculiaris eſt, ob natiuam eorum humiditatem, multas cruditates congeſtas neruoſarumq́ue partium mollitiem, pueris in eiuſmodi locis degentibus frequentiùs accidit, accedente inſuper aduentitiâ tum in capite tum in vniuerſo corpore humiditate ac mollitie. Auſtris enim frequenter perflantibus, neruoſas partes madefieri magis, atque irrigari neceſſe

eſt,

eſt, ita vt ijs in tumorem eleuatis præter naturam & ſecundùm latitudinem dilatatis atque in longitudinem decurtatis conuelli & verſus proprium principium partes inde trahi neceſſe ſit.

Iiſdem quoque Aſthmata accidere ſolent; cum vltra peculi- 115.
arem capitis humiditatem, aduentitia quoque multa ob ventos accedat, quâ & capita replentur, & ſpirituales partes ad recipiendum magis fiunt idoneæ, aëris & ventorum humida natura eliquationẽ & fluxum adiuuante: nam Aſthmata ex impedita via reſpirationis, à multis craſsis viſcidiſque humoribus, à capite ad partes thoracis defluentibus, plerunque fieri docuit Galenus.

Epilepſiam quoque ijſdem accidere mirum non eſt; cum nam- 116.
que epilepſia fiat meatibus cerebri à craſſa viſcidaque pituita, aut etiam atro humore obſtructis, pueri autem naturâ ſuâ humidiſsimi ſunt, potiſsimùm autem capite, tùm ob naturalem temperaturam, tùm ob edacitatem, ideò multam quoque pituitam in capite potiſsimùm aggregari neceſſe eſt. Quare accedente vento Auſtrino augetur pituita; vnde epilepſia. Accedit quoque quod Auſter pituitã extenuet & ad cerebrum impellat, vt docuit Auicenna.

Viris dyſenteriæ accidunt; cum namque ea viris ſit peculia- 117.
ris docẽte Hippocrate, ideò accedentibus ventis Auſtrinis, qui capita efficiunt humida, & multâ pituitâ replent, quin etiã calefaciunt, putredinem & ſubinde ſalſedinem gignunt, potiſsimùm in ætate illa calida; quid mirum ſi eadem pituita poſtmodum in inteſtina ob grauitatem deriuata, fluxus alui ſanguinei, cum exulceratione inteſtinorum generentur, ſalsâ pituitâ inteſtinorum internis tunicis adhærente & abradente, tum & bile illi admixta?

Diarrhæa viris eſt frequens; nam cum & hæc ſit viris peculiaris, 118.
ſi tanta non accedat caliditas, quæ putredinem concitet, ſalſedinem faciat, aut multam bilem admixtam gignat, tunc capitibus per ventos Auſtrinos humectatis, & multâ pituitâ refertis, mirum non eſt, ſi ea ſimplex non mordicans, à capite defluxa ad inteſtina profluuium excitet. Vnde ſcripſit Hippocrates, excrementa in alui profluuijs, ſignificare pituitam eorum cauſam eſſe à capite defluxam.

Epialæ ijſdem quoque accidunt; cum enim pituitoſa capita ha- 119.
beant, vniuerſumque corpus hac ratione affluat, accedentibus cauſis putredini aptis, vt Auſtrinis ventis, tunc ſanè putredo excitabitur. Verum cum pituita non vndequaque ob repugnantem na-

turam putredinem contrahere poſsit, calor ſimul & frigus in partibus perſentiuntur; ille quidem ob putredinem & febrem, hoc ob frigidum humorem, per venas vniuerſasque corporis partes diſperſum.

120. Febres quoque diuturnæ & hybernæ, à multitudine & craſsitie pituitæ ſolius, vel alijs humoribus craſsis mixtæ, in inteſtinis vel circa ventriculum viſceraque caua coërcitæ putreſcentis, in viris fieri ſolent; talis enim humor non niſi longo poſt tempore ſuperari & hyeme infeſtare ſolet. Quamuis autem haſce peculiares grandiorum puerorum aliquando ſtatuat Hippocrates, nihilominus cum ex ambiente ſimilem pueris alibi degentibus temperaturam nacti ſint, in hoc ſitu ipſi viri; meritò vnà cum eodem Hippocrate alibi id declarante, inter proprias virorum huiuſmodi collocamus.

121. Epinyctitibus viri ſæpè corripiuntur; cum enim ambitus totius corporis in locis Auſtrinis laxus ſit & languidus, cumque caput multâ pituitâ refertum ſit, ideò Auſtris accedentibus ad partes inferiores deſcendit, atque à calore ambientis excalefacta ſalſaque reddita, ad locum à natura ad id inſtitutum ſæpenumero expellitur, cuiuſmodi cutis eſt: humores enim excrementitij cum ad corporis nutritionem ex natura ſua inepti ſint, & ad alimoniam illi præbendam, vel quadam naturæ prouidentia certi alicuius vſus gratia in conceptacula quædam relegantur, vel foris ad extimas partes propulſi, tumores, puſtulas, cutiſque defædationes excitant, aut inſenſibiliter per cutem exſpirant, aut etiam ſenſibiliter per ſudorem emittuntur: quod ſi intra detineantur, febres putridas excitant.

122. Hanc igitur excrementitiam pituitam, quæ naturâ ſuâ nocte potiùs moueri ſolet, facultas etiam poſt ſomnum validior facta, tanquam noxiam tentat expellere, atque ad cutem tranſmittit: verùm cum ob eius craſsitiem non ita facilè poſsit expelli, validiuſque cuti adhæreat, & quoniam nocte ob aëris frigiditatem cutis denſior facta eſt, ideò cutis in tumorem eleuatur, atque puſtulæ generantur.

123. Hæmorrhoidibus ijdem infeſtantur; cum enim ratione ætatis ſanguis aduſtus generetur, & bilis ratione ambientis nos aëris, pituita autē ſalſa ex capite ad inferna deſcendat, quæ vel primaria huius effectus, vel certè coadiuuans & aduentitia cauſa eſſe ſoleat, ſequitur

tur

tur vt facilè affectione hac, viri loca Austrinos ventos excipientia incolentes, tententur.

Ophthalmiæ humidæ, quæ videlicet à sanguine pituitoso bili admixto proficiscuntur, quæque grauitatem insignem, caliditatem verò & rubedinem exiguam habent adiunctas, accidere solent viris Austrinum situm colentibus. Nam cum fluxionibus ij ex natura sua facilè corripiantur, cumque caput eorum humidum naturâ sit, pituitaque refertum; cum præterea Austrini flatus particulas omnes rarefacientes potissimùm oculis sese offerunt, meritò ophthalmiâ tentari poterunt. 124.

Verùm ophthalmia erit leuis, vel quia humida intemperies dolorem insignem inferre non soleat, sed grauem potiùs: vel quia alui profluuio facilè & sæpè corripiuntur, à quo huiusmodi aut solui aut leuior fieri solet, vti docuit Hippocrates, ideò meritò graues non sunt huiusmodi ophthalmiæ. 125.

Quinetiam eædem ophthalmiæ solent esse breues, quia licet ob crassitiem materiæ, ophthalmiæ huiusmodi soleant esse longæ, vti post Hippocratem docuit Galenus, propter concoctionem difficilem & calorem languidum; nihilominus in situ Austrino breues sunt, quia sæpius corripiuntur alui profluuio, & humidæ sunt alui. Ophthalmicum autē alui profluuio corripi bonū dicebat Hippocrates. quia humoris abundantia simul ad inferna retrahitur & euacuatur. Accedit, quod cum omnes partes ratione Austrinæ constitutionis rariores redditæ sint, vnde etiam fluxionibus humorum suscipiendis maximè sunt obnoxiæ: facilè tamen ijs receptis euaporant, ob raritatem partium, quæ ad dissipandos facilè humores solent esse auxilio. Postremò & hoc non parum facere videtur, quod materiei frigidæ admixta sit bilis notabilis portio, ratione ambientis aëris calidi; bilis autem morbos ex materia pituitosa solet breuiores efficere. 126.

Acuti verò morbi qui à materia calida & acri generantur siue febres sint, vti ardentes, siue febrem continuam habeant comitem, vt pleuritides, peripneumoniæ anginæ, & similes, licet viris aliòqui soleant esse familiares, in hac tamen constitutione Austrina rarò accidunt; cum enim aluum habeant liquidam ob abundantiam pituitæ, præsertim si salsedinem & acredinem sibi adiunxerit, quæ intestina mordens, irritat ad deiectionem, quâ non tantum pituita, 127.

sed

ſed & aliæ ſuperfluitates excernuntur, mirum non eſt ſi cauſâ efficiente ablatâ huiuſmodi acuti morbi non gignantur. Vnde Hippocrates ſcribebat, eos qui Hæmorrhoides habent, neq́ue morbo laterali, neq́ue pulmonario, neq́ue phagedæna laborare.

128. SENIBVS quinquageſimum annum ætatis tranſgreſsis, accidunt paraplexiæ, ſiue apoplexiæ particulares; cum enim morbus ille ſenum alioqui peculiaris ſit, vbicunque degant teſte Hippocrate, quoniam partes ad caput attinentes facilè in ijs fluxionibus tentantur, caput quoque naturâ ſuâ frigidum ſi calore naturali destituatur; prætereà cum huius regionis incolæ omnes ferè capita humida & multâ pituitâ referta habeant; conſentaneum eſt in ſenio tantam adeſſe pituitæ copiam, vt accedente ambiente calido & humido Auſtrino, rarefactis poris, omnium partium aditus pateat humori, vt ad aliquam partem reſideat. Cum verò in ſenibus crudi ſint humores pituitoſi ob caloris imbecillitatem, paraplexiasq́ue docuit Hippocrates fieri cum humores frigidi potiſsimùm in loca recipientia defluxi fuerint, nec expelli nec concoqui poſsint, vnde ſpiritus minimè transfluere poſſunt, vt animæ cuius ſunt inſtrumentum inſeruiant, ideò meritò huius ætatis peculiares erunt, quod & confirmauit Hippocrates cum inquit, *Natu maioribus autem & quos iam calor deficit paraplexia, aut inſania, aut cæcitates.* Hæ autem paraplexiæ facilius accidunt vbi Sol materias pituitoſas in capite exiſtentes colliquauerit & fuderit, aut frigus comprimendo materias pituitoſas capitis, ſiue potiùs exprimendo fluxiones concitauerit.

EFFECTA VENTORVM SEPTENTRIONALIVM.

129. AQuæ in ſitu Septentrionali, fluuiatiles potiſsimùm & detectæ, duræ ſunt & frigidæ, difficulterq́ue à calore noſtro interno vincuntur, ſed in ventre & hypochondrijs firmatæ diutiùs, vix ob craſsitiē & duritiem tranſitum inuenire poſſunt. Cauſa autem frigiditatis eſt, quod aquæ Solem aduerſum habeant, ideoque non multum excoqui calefieriq́; poſſunt. Subterraneæ verò aquæ, quamuis fortaſſe crudiores ſint & duræ, vt naturæ terræ vnde ſcaturiunt ex parte reſpondeant, calore tamen interno & ſpiritu igneo, viſceribus terræ incluſo, calefieri poterunt.

Eædem

Eædem quoque detectæ aquæ magna ex parte insipido sapore præditæ sunt; ideoque ad dulces proximè accedunt, atque pro dulcibus non rarò accipiuntur, suntque ideo ex genere optimarum aquarum. Non tamen verè sunt dulces: siquidem vera dulcedo à calore potius moderato fit, qui in hisce aquis deest. 130.

HOMINES verò ventis Septentrionalibus expositos, robustos esse & siccos necesse est. Cum enim Septentrionales venti frigidi sint & sicci, ideò corpora vniuersa solidiora, & ad motum (superuacanea omnia quæ in corpore sunt consumendo) promptiora reddunt, animales naturalesque actiones validiores efficiunt. Vnde Hippocrates Aquilonium ventum astringere corpora nostra testatur, inque vnam ea cogere substantiam, & ob id, tùm naturæ, tùm animæ meliores reddi actiones, corporaque inde effici robustiora, facilè mobilia, bene colorata, & rectiùs audientia scribit Cum igitur virium robur in eo consistat, quod corporis substantia durior effecta, & magis condensata, calorem internum viuidiorem habet, meritò robustos esse hos necessariò dicemus, & siccos ob eandem hanc peculiarem Septentrionalium ventorum naturam. Hinc etiam populi Septentrionales, quos veteres neque cognouerunt, neque ijs in locis ob frigidissimi aëris iniurias habitationem esse voluerunt, quàm maximè agiles conspiciuntur, adeoque sicci, vt Lapones, antiquis penitus incognitos, corpore vsqueadeò agili esse scribant, vt accincti pharetrâ & arcu, transmittant sese per circulum diametri cubitalis. 131.

Eorundem quoque ventres infernos duros, hoc est, astrictos, & siccos, siue sicca excernentes esse necesse est, quod adscribendũ videtur naturæ loci, quæ cum ad siccum tendat, ventosque excipiat frigidos, siccos, & astringentes, meritò astrictas aluos efficient: eademque ratione quod excernitur siccum est, tum etiam quia in corpore toto exsiccato, venter ad seipsum trahit humidiores partes in alimentum; vnde totâ ferè consumptâ humiditate, fæces sicciores remanent: imò fæcum siccitas ad alui astrictionẽ sequitur: ijs enim diutius retentis, maior fit exsiccatio & suctus, quod & in nobis ipsis quotidie experimur, in Aquiloniâ temporis constitutione, atque etiam ex Hippocrate colligere licet, qui à ventis Septentrionalibus, & Borealibus temporum constitutionibus, aluos exsiccari scribit: sicut etiam Galenus ostendit. 132.

133. Ventres verò superiores siue cauitates supra diaphragma & infra collum εὐρωτέρας, hoc est, laxiores siue magis apertas, habent. Cùm enim calidissimi sint, quod per antiperistasin calor innatus ad propria principia repellatur, & pectus dilatari, & thoracis meatus laxiores reddi necesse est. Hinc sæpè fluxionibus tentantur; Quare & Hippocrates Septentrionalium ventorum & constitutionum proprium esse scribit, tusses excitare, & fluxiones à capite: nam quamuis ibi non multa adest materia, aut simplex calida intemperies, vt aptus sit ventus Aquilonius excrementa absumere, & intemperiem illam auferre; vbi tamen capiti admodum repleto occurrat (quod non rarò ob natiuam capitis & cerebri temperiem accidit) condensando & veluti comprimendo humiditates exprimit, & in pectus impellit.

134. Calidi quoque & biliosi homines sunt; cum enim calor internus ex frigiditate ambientis, astrictis etiam cutis poris, ab externis partibus ad internas per antiperistasin tendat vel potius impellatur, calidiora etiam reddi viscera oportet: quæ cum principalia sint in corpore, tota quoque corporis temperies inde pendebit: vnde calida & sicca viscera cum sint, non parum biliosi humoris generabunt, calore plus quam par sit excalefaciente & concoquente: pituitosi autẽ non fiunt, quoniam pituita ex debili proficiscitur calore.

135. Capita habent sana; nam cum caput naturâ suâ humidissimum sit, cauum, rotundum, & in eminentiori corporis parte constitutum à natura: ideo præter naturalem, aduentitiâ quoque humiditate, maximè affluere illud oportet: Ideò Borealibus ventis accedentibus, qui omnia exsiccare, firmare, & indurare, humiditatesque excrementitias absumere solent, sana reddi & ad naturalem sibi symmetriam reduci capita oportet. Docebat enim Hippocrates, eorum proprium esse hac ratione & vim formatricem validiorem reddere, & actiones omnes tum animales, tum naturales robustiores efficere.

136. Capita quoque dura esse conuenit, consentiente cum vniuerso corpore etiam capite: imò magis exsiccato, quoniam magis impressionibus subijcitur: nam cum Aquiloniam constitutionem doceant Hippocrates & Galenus corpora densare & intendere, & auditum magis expurgare, non alia id ratione fieri docet Galenus, quàm exsiccando superfluas humiditates, qua ratione robur & durities produ-

producitur: ex qua duritie etiam ſanitas conſeruatur, quod minus externis iniurijs pateat aditus, vbi durior facta ſit cutis capitis, vehementiuſque reſiſtat.

Edaces ſunt; nam fames naturalis, quâ homines edaces reddun- 137. tur, in nobis excitatur, tùm ex defectu ipſius alimenti ventriculi, à quo fouetur, & quaſi alitur, calido interno conſumente, tum ex communi & per ſucceſsionem facta, ab vniuerſis corporis partibus, à ventriculo tanquam ex totius promptuario, attractione: nam cæteræ particulæ à venis alimentum ſuum exſugunt, venæ verò cum inaniuntur, à iecore, vnde ortum habent, id petunt, iecur per venulas meſenterij, tanquam per manus ab inteſtinis & ventriculo alimentū quærit; et ſi in ijs aptum inueniat alimentum, illud exſugens in ſanguinem conuertit, ex quo tùm ipſum, tùm reliquæ particulæ aluntur. Sin autem defuerit in ventriculo communis ſuccus, proprium & naturalem humorem exſugit; quo fit, vt in eo ſecutâ penuriâ & ſuctu, cum inſigni ſenſu præditus ſit, cogitur appetere naturaliter alimentum, quo euacuata materia reponatur. Cum ergò ij qui Aquilonibus expoſiti ſunt, ob ambientis frigiditatem calorem naturalem habeant validum & robuſtum, is ſanè materiam in alimentum facilè poterit conuertere. Vnde & maior ſuctus, & appetentia neceſſariò ſequitur.

Non multùm tamen afficiuntur ſiti præternaturali, eâ videlicet 138. quæ fit ob exceſſum caloris aduentitij, & præternaturalis, tunicas ventriculi & adiacentes partes excalefacientis & exſiccantis, ex qua appetitus frigidi & humidi excitâtur, quæ potiùs aquæ & vini oligophori potu ſedatur, quàm vini potentis. Cum enim hoc calidum ſit potentiâ & ſiccum, huic ſiti non modò non ſatis faciet, ſed eam potiùs augebit: vnde fit, vt cum quis potenti vino ebrius factus eſt, magis & magis prematur ſiti. Septentrionalem autē ventum excipientibus, naturalis potiùs ineſt caliditas, ideò hac ſiti non facilè afficiuntur. Siti tamē naturali, quæ ex conſumptâ alimentali humiditate aut diminutâ oritur, valdè eos affici poſſe ob validū calorem natiuum eſt veriſimile. Vnde Ariſtoteles, robuſtos viros, quos alioqui omnes habitu calidiore eſſe conſtat, vinoſos eſſe aſſerit: cum enim calido naturali interno abundent, non parua humiditas conſumitur, quo fit, vt naturalis ſitis excitetur, & bibacitas ſequatur, amorq; vini & quidem potentis rubri & craſsioris ſubſtantiæ, cuiuſmodi

citò consumptam humiditatem restaurare potest, vt cum Hippocrate docet Galenus. Exemplum adfert Aristoteles de Scythis, qui Septentrionales sunt. Quod sanè experientiæ quam maximè congruum est. Constat enim gentes omnes Septentrionales, Germanos, Anglos, Polonos, Suecos, Moschouitas, & prætereà qui insulas terramque Septentrionalem antiquis incognitam incolunt, quamuis agrum vini feracem non habeant, adeò esse bibaces & potissimùm vini, vt nulla sit gens, quæ eos bibacitate superet. Verùm licet hi qui ventos excipiunt Septentrionales, ob natiuum calorem, potûs satis magnam ferre possint quantitatem, non tamen ob edacitatem commodè tolerant. *Non enim possibile est esse simul edaces & multum bibaces*, vt inquit Hippocrates. Quod licet non semper, plerumque tamen verum esse docet experientia: nam hyeme cum plura solemus comedere, parùm admodum vino delectamur: æstate autem contra, idque iustâ de causâ. Siquidem hyeme cum calor innatus maximè vnitus sit, humiditates omnes consumendo & famem & sitim naturalem excitat: vnde multa comedimus, auctâ ob frigiditatem inspirati caloris fame, & bibimus quantum pro natura oportet, externâ aliquâ causâ non accedente, scilicet calore, & proptereà non sequitur bibacitas, quæ ex calore acri & mordaci, limitesque naturæ excedente, humiditates consumente & exsiccante fieri solet: qui calor cum in æstate augeatur, magis etiam bibaces & siticulosos reddit. Cum verò ij qui Septentrionales ventos excipiunt naturam ferè eandē nacti sint, qualis est in hyeme, patet magnos esse comestores, non verò multum bibaces, quamuis satis mediocriter vini potu indigeant, quia ventriculi capacitas solidioribus cibis repleta, vix potui locum dat.

139. Longæuos verò magis quàm qui Meridiem respiciunt hos homines esse par est; vita enim nostra natiuo calore & humore conseruatur, ideò eò longiorem esse oportet, quò duo illi diutius durabunt, & eò breuiorem, quò breuiori tempore consumuntur. Cum verò Septentrionales natiuo humore abundent, & eo quidem crassiori, non ita citò consumi aut desiccari poterit. Accedit, quod cum habitûs sint durioris, vt anteà docuimus, difficiliùs dissolui substantia poterit, diutiusque calor internus in intimis corporis conseruabitur: vnde cibis multis ingestis, succi qui necessariò in tanta caloris actione dissoluuntur, facilè restaurantur, vitaque diu-

tius

tius protrahitur, senectusque tardatur. Meridionales autem non possunt diutius internum calorem viuidum conseruare, & natiuam radicalemque humiditatem tueri; externo enim calore excedente, apertis nimiùm cutis poris, & internus calor disipatur, & humidum natiuum consumitur. Hinc Auicenna afferebat, habitantes in regionibus frigidis, multò audaciores esse, coloratiores, & longioris vitæ, quam degentes in calidis, in quibus anno trigesimo senium incipere testatur.

Comparatio autem hæc situum vera tunc potissimùm est, quando excessus non est summus; ita vt in regione Septentrionē respiciente, moderata sit frigiditas, & siccitas, ea verò quæ Meridiem respicit calida sit & humida, atque in humiditate excedat. Si namque loca calida sint, immoderatè talia, aut potiùs ad siccitatem inclinantia; frigida verò excesiuè talia, ita vt extinctionem, non vigorem & robur caloris pariant, tunc sanè contra sese res habebit. Atque sic Aristoteles asserit diutius viuere animalia in calidis locis nata & degentia, quàm alia eiusdem speciei in locis frigidis: vbi Aristoteles loquitur de calida regione, & temperata in hac qualitate; in passiuis tamen humiditate & siccitate temperiem non multùm excedente. Nam si homines in huiusmodi locis degentes, comparemus cum ijs qui loca frigida incolunt, semper verum erit, viuaciores esse eos qui in illis degunt ob causas quas Aristoteles adduxit, nimirum quod & humidum naturale siccius, id est, minùs aqueum sit, & putredo quæ mortis altera est proxima causa, non ita facilè excitetur: tum etiam quoniam diutius conseruatur humidum radicale, quod calor internus non ita retrocedat aut vniatur, vnde maior sequi solet consumptio. Cum verò caliditas vbi excesserit iunctam semper habeat siccitatem, excessus hic caloris in regione hac de qua agit Aristoteles non potest esse magnus, cum eum supponamus aut parum in siccitate excedere, aut sanè in pasiuis esse temperiem, quod & ex Aristotele patet, qui eandem statuit causam longitudinis vitæ in regione calida, quā attulit maioris longitudinis vitæ in viris, quàm in feminis: ideò non potuit magnū caliditatis excessum intellexisse. Accedit & ratio, cum homines in calidissimis locis degentes, quæ etiam siccisima esse oportet, non modò non diutisimè viuunt, sed potiùs breuisimæ vitæ ideo esse oporteat, quòd ab ambientis calore & interno etiam acri humidum 140.

consumatur aduraturque : non tamen diutius viuunt, qui in frigidissimis & humidissimis locis vitam agunt; non naturalis enim mors facilè accedit, externo frigore calorem internum quasi extinguente; vt constat ex Petro Aponense problematum Aristotelis inter-
141. prete.

Moribus animi agrestioribus potiùs, quàm mitioribus congenitis præditos esse homines loca Septentrionem spectantia incolentes rationi consonum est. Si enim ex varia victus ratione immutatis humoribus mores sæpè immutantur, quis negauerit, ambiente perpetuò in nostra corpora agente, mores diuersos in hominibus excitari? Quod manifestum fecit Galenus authoritate Platonis, Aristotelis, & Hippocratis: quinimo & rationibus sententiam hanc tuetur. Itaque cum in regione Septentrionem respiciente, calor vnà cum sanguine in viscera & ad profundum ab extrinseco & vincente frigore fugetur quodammodo, interna plurimum incalescere, externa verò frigore tentari necesse est: quo fit, vt coarctato agitatoque interno calore, atque feruente, animosi fiant, audaces, iracundi, præcipitisque consilij; vnde agrestiores, id est, magis feri & rudes efficiuntur quàm mansueti. Est enim consuetudo animi constātia aduersus iræ impetum immobilis: hi verò cum nihil ob motum interni caloris prudenter faciant, præcipites sunt in consilijs.

142. Acuti morbi, qui febres continuas habent adiunctas, viris sunt communes; cuius rationem reddit Hippocrates inquiens: *Necesse autem est ita habere, cum ventres duri existunt.* Nam quamuis capita humida non habeant, tamen ob retractum ad interna calorem & sanguinem, cum occasio præbeatur morbis acutis, ventribus duris & astrictis in ijs existentibus, faciliùs ij morbi produci poterunt: cum enim adsit causa morbos huiusmodi efficiens, biliosus scilicet humor excrementitius & commotus, vbi nullum habet locum per quem commodè expurgari possit, nobilioribus partibus influxa, morbis acutis, præbet materiam. Itaq; ventris stipticitas ab Hippocrate prolata causa est remota; proxima autem caloris interni vehementia, quam proponit Aristoteles; quærens namque cur in frigidissimis terris febres ardentes sæpius fieri consueuerint? Respondet, quod ambientis frigiditas calorem internum ambit, atque subinde validiorem reddit; at in æstate & calidis locis contrarium fit, cum ambiens calidus sit, & externi corporis pori aperti, atq; ad externa reuoce-

reuocetur caliditas, vnde internæ partes calore destitutæ, non adeò feruent, quod tamen ad febrem requiritur. Vbi igitur maior est ardor internus, sæpius quoque & in maiori gradu febris excitatur. Sic enim hyeme retentis excrementis biliosis, quæ antè expurgabantur, iisque putrescentibus, facilè febres ardentes & continuæ excitantur, quamuis illis repugnet natura temporis.

Iisdem viris, inter cæteros acutos, valde communes sunt pleuritides, & peripneumoniæ; cum namque pleuritis inflammatio sit præter naturam membranæ costas succingentis à sanguine potissimùm bilioso facta, aut certè pituitoso, bili tamen admixto, manifestum erit, eos qui regionem incolunt Septentrionales ventos excipientem, facile eâ tentari. Origo namque eius in humano corpore talis est, vbi sanguis tenuis & biliosus abundauerit in corpore, ad externas partes ob earum condensationem, & refrigerationem ratione ambientis, non facilè potest transmitti; necesse itaque est internas partes, magis occupari, magnoque impetu hinc inde moueri, maximè aëre frigido inspirato, & aqua frigidissima hausta: vnde fit vt biliosus sanguis, qui multus in huiusmodi corporib. esse solet, in caua vena cordi assidente, contineri non aptus, in eam quæ azigos, hoc est, sine pari nuncupatur, indeque in tenues costarum venas irruat, quibus apertis exilit, & incidit aut inmedium locum inter costas & succingentem membranam, aut inter musculos costis superiacentes. Quod si è dextro cordis sinu, per venam arterialem, in pulmones, præter naturam, & plusquam tum eorum venæ tum eorum substantia capere potest, idem irruat vehementiùs, peripneumoniam facit. 143.

Corporis quoque ijs adest distentio, & vasorum siue venarum durities; frigus enim corpora constringit & contrahit, venasque duras & ad extensionem contumaces facit. 144.

Hinc non rarò sequuntur vasorum siue venarum rupturæ; cum namque venæ distentæ sint, & ad extensionem contumaces, ideò sanguine abundante, & ob frigus ad externas partes repulso, tunicæ venarum disrumpi facilè poterunt, vt optimè docuit Galenus. Inter cæteras enim causas quæ ad ruptionem concurrunt, durities est, quia propter illam dilatari venæ minimè possunt: frigore verò accedente, quod ob nimiam constrictionem sanguinem copiosum diutius continere nequeant, frangi necesse est. Quod si ad ambientis 145.

frigi-

frigiditatem & ſiccitatem, tum etiam vniuerſi corporis diſtentionem & ſiccitatem, illud inſuper addatur, quod aquam frigidam & crudam communiter hauriant, iam abſolutè erit rupturæ vaſorum allata cauſa.

146. Suppurari quoque eos ex varijs occaſionibus contingit, videlicet tum ob pleuritidem vel peripneumoniam in pus verſam & diſruptam, inque capacitatem, quæ eſt inter pulmonem & thoracem defluxam, ex quibus ſæpius ſuppurationes ſolent prouenire: tum ob vaſorum frequentem rupturam, quam anteà propoſuimus.

147. Ophthalmiæ quoque fiunt ſiccæ, duræ, & vehementes, quibus oculi rumpantur; cum enim talis affectûs cauſa ſit humor bilioſus, homines verò Septentrionales ventos excipientes, naturâ ſunt bilioſi, aëriſque habeant intemperiem ſiccam, ideò ophthalmias ſiccas, hoc eſt, bilioſas, & in quibus raræ lachrymæ conſpiciuntur, euenire neceſſe eſt. Docet enim Hippocrates, poſt Autumnũ ſiccum & Borealẽ, ſiccas lippitudines accidere ſæpenumero: fiunt autẽ duræ, quoniàm cum vniuerſus corporis habitus ſit durus & ſiccus, & hic affectus ab humore calido & ſicco fiat, accedente aëris conſtitutione & ventorum, neceſſe eſt conſumi aquoſiorem bilis partem, vnde lachrymæ non apparent. Sunt quoque vehementes ophthalmiæ, quoniam bilioſus humor calidus & acris mordenſq; in oculos deductus pruritum excitat, mordet, doloreſque facit intolerabiles: cumque naturâ ſuâ corrodens ſit humor, oculique naturâ ſuâ ſicciores, facilè poterunt exulcerari & rumpi.

148. Iunioribus quoque triginta annis, æſtate vehementes, & fortes eueniunt ſanguinis è naribus fluxiones; ex communi namque & naturali corporum conſtitutione calida, internè in ijs multus ſanguis & quidem calidior gignitur. Quod ſi illud accedat, quòd in ætate calida conſiſtant, in qua maior copia ſanguinis generatur, & nonnihil bilioſi humoris admiſcetur, & calida accedat temporis conſtitutio, in qua ſeroſi & bilioſi humoris nonnihil admiſcetur, & ijſdem magis acuuntur, ijs inquam compoſitis, neceſſariò quaſi ſanguinis è naribus profluuium efficitur, cum id ex bilioſo, multo, acri, mordacique & ſeroſo ſanguine venarum orificia vellicante fieri vt plurimum conſueuerit.

149. Morbos item ſacros appellatos, paucos quidem, verùm vehemẽtes, fieri in hoc ſitu par eſt; epilepſia namq; à duplici potiſsimùm

cauſa

causa oritur, abundantia pituitæ, & humoris melancholici; à qua repentè ventriculi cerebri & spiritûs meatus repleti & infarcti, efficiunt vt æger cohibito spiritu animali corruat; quamuis interdum venenosa, & grauiter substantiæ cerebri infensa qualitate præditus humor tenuis vel flatus, epilepsiæ causa statuatur. Cum igitur sana robustaque capita huiusmodi locorum incolæ sortiti sint; cumque non satis multi humores crassi, calore naturali valido elaborante, aggregari queant, meritò huiusmodi morbos raròaccidere diximus. Verùm si qui excitantur, vehementes esse solent; cùm qui à melancholico & atro humore fiunt, vehementiores multò sint, (vt docet Hippocrates & Galenus) quàm qui ex pituita, quæ alioqui in iis difficillimè aggregatur, ob internum calorem naturalem viuidiorem: atra autem bilis quandoque generari potest coctione iecinoris proprios terminos excedente, & calore quasi superassante. Si igitur accidat (quod tamen rarum est) semper erit ex humore melancholico, aut certè ex venenosa aliqua qualitate in parte aliqua sedē habente,& per interualla caput petente, vnde vehementiā maximam nanciscuntur. Quinimo quemadmodum febris ardens hyeme inuadens periculosa esse solet, præcipuè si senem inuadat, quod non nisi vehementissimam occasionem nacta eo tempore aut ætate soleat accidere, ita hic morbus, cùm ob rationes prolatas non nisi raròin hoc situ contingere soleat, si fortè adueniat, & validissimum esse & multum periculi inuehere oportet, quod non nisi ex validissima causa initium duxerit.

Mvlieribvs vt plurimum menstruæ purgationes deficiunt, vel 150.
paucæ & laboriosæ proueniunt; sanguis enim crudior, crassior, & frigidior factus, obstructis meatibus, per quos fluere solebat, non potest expurgari. Hæc autē cruditas & frigiditas prouenit ab aquarum duritie, crassitie, & frigiditate.

Sunt etiam multæ steriles; cuius causa inprimis est sanguinis 151.
expurgatio deficiens. Extinguitur enim semen teste Hippocrate à copiosis humoribus. Altera causa est vteri frigiditas, spissitudo, & crassities, quæ similiter ab aquæ cruditate prouenit. Hæc doctrina est Hippocratis, Galeni, & Aristotelis.

Quæ vero concipiunt mulieres, difficulter parere solent; inspi- 152.
ratis enim ventis frigidioribus, & aquis eiusdem qualitatis haustis, vterus frigore condensatur, eiusque membranæ, & adiacentes par-

tes magis induratæ, extenſioni contumaces efficiuntur, vnde pariendi difficultas accidit. Vnde etiam aliquando Hippocrates, aquas lacuſtres & ſtabiles, dicebat hyeme mulieribus partus efficere difficiliores, ſicut & tempora in frigiditate nimis excendentia.

153. Eædem non valdè abortiunt; cum enim non multum hiantes, laxíue ſint in his vteri, ob ambientis frigiditatem, & aquarum duritiem: ſi prætereà duriores factæ ſint membranæ, & ſolidiora ligamenta, quibus vterus matri alligatur; ſi prætereà vniuerſum corpus ſolidius duriuſque effectum, internas multas, externas verò omnes offenſas faciliùs ſuperet: quis dubitet hac eadem ratione Septentrionem reſpicientia loca inhabitantes mulieres, ſi quando concipiant, difficillimè abortum pati?

154. Vbi verò pepererint, filios nutrire vix poſſunt; lac enim ab aquarum duritie & cruditate extinguitur. Nam cum lac ſit ſanguis redundans à mammis alteratus, vt docet Hippocrates; ex aquarum verò mala qualitate, ſanguis paucus, & ad generationem lactis non ſatis aptus ſit, cum ſubtilior calidiorque eſſe debeat, tandem lac conſumitur. Accedit, quod corpus vniuerſum durius redditum eſt, & non ſatis peruium, meatuſque omnes ratione tum aquarum, tum ambientis anguſtiores redditi ſunt: quo fit vt ſanguis craſsior alioqui & ad penetrationem non ſatis aptus, per anguſtiſsimas venulas, & ſtrictiſsimos meatus, ad mammas peruenire non poſsit. Sed dicet quiſpiam, ſi lac ob aquarum cruditatem extinguitur cum ex eodem ſanguine lac in mammis fiat, ex quo in vtero fætus nutriebatur, quomodo fætus dum in vtero permanet, iiſdem rationibus non elangueſcet & emorietur, ſanguine bono pro nutritione deſtitutus? verùm id ideò accidere exiſtimamus, quod non modo ex ſanguinis in vniuerſo corpore defectu lac extingui poſsit, ſed potiſsimùm aut adeò craſsè facto, vt permeare loca alioqui naturâ ſuâ anguſta nequeat; aut certè aſtrictis vſqueadeo venulis & meatibus inſenſibilibus, vt per eos ſanguis, quicunque fuerit, permeare non poſsit: in ijs verò locis tum ratione ambientis frigidi, tum ratione aquarum durarum, crudarum & frigidarum, cùm ſanguis & craſſus reddatur, & penetrare non ita facilè poſsit, & meatus anguſti redditi ſint, non mirum, ſi infante iam edito, alimentum commodum, per mammas longo tempore non ſuppeditetur, qui alioqui infantis ne-

ceſsitati

cessitati, dum in vtero est, commodè satisfacit, ob venas magnas, quæ in ijs partibus à natura positæ sunt.

Similiter post partum phthises generantur frequenter; ex laborioso enim partu, vehementibusque clamoribus, vel per consensum, vel per primariam affectionem, potest vena vel arteria in pulmonibus, vel in thorace disrumpi, quæ sanguinem fundendo, veræ phthisi vlcerosæ manifestam præbet occasionem: effuso enim sanguine, neque per sputum educto & putrefacto, pus generatur, & sic fit phthisis vera. Adhæc si partis alicuius ex ijs quæ in partu concurrunt, vena aliqua disrumpatur diuellaturque, per eam natiuus effluet calor, vnde vniuersum corpus contabescet, atque marcorem patietur: vti si epigastri musculorum, qui partum iuuant, vena, vel peritonæum rumpatur; non aliter sanguine & spiritu euacuato, corpus paulatim contabescet, quàm perforato & exeso ventriculo aliquando accidere videamus: veluti etiam si ex partus labore aliquis in vtero excitetur morbus. 155.

PVERIS autem ante quartum annum potissimùm hydrocelæ in testibus vel scroto colliguntur, quæ durant quam diu parui fuerint, deinde ætate procedente euanescunt. Cum enim lac & quæcunque aquosas partes habent, cruditatem, duritiem, & per consequens grauitatem habeant, humiditate connaturali puerorum adiuuante, mollitieque partium, & laxitate meatuum; efficitur, vt crudum & durum graueque alimentum assumptum, minimeque confectum, cum ad superiores partes transmitti nequeat, ob earũ augustiam & constipationem; neque etiam rectè consumi, ad infernas partes transmittatur, puta ad vias vrinæ; cum verò ob crassitiem, non satis aptam viam nanciscantur, impingi retineriq; oportet in aliqua earum partium. Cum verò nulla sit scroto capacior, in eo morbus ille excitatur. Verùm procedente tempore, cum ætas ad ficciorem vergat, meatusque propterea non ita aperti & laxi sint, virtutibus naturalibus, & potissimùm expultrice, ob villos magis exsiccatos, validioribus factis, neque subministrata facilè materia, & iam fluxa paulatim consumpta, tumorem illum euanescere tandem oportet. 156.

GRANDIORES deinde serò pubescunt; quamuis enim calidi sint, & proinde potius viderentur citò debere pubescere ob vapores multos eleuatos, nihilominus ratione à cæteris omnibus desum- 157.

F 2 pta

pta tardiùs pubeſcunt: materia enim fuliginoſa & excrementitia nulla ferè eſt aut exigua in ijs pueris; cum calor adurens, qui fuligines & limoſa excrementa producere ſolet non adſit, ſed mitis, blandus, temperatus, & naturalis. Vnde multa fuligo eleuari non poteſt. Meatus prætereà qui ad pilorum generationem neceſſarij ſunt, hic aut nulli ſunt, aut quam anguſtiſsimi, ob ventorum frigiditatem, quâ cutis & induratur & conſtipatur. Procedente verò tempore, calore magis æſtuante, multò maior craſſarum & terrenarum fuliginum copia excitatur, quæ exitum quærentes, viam tandem ſibi ſtruunt per quam egrediantur, vnde tandem multis & aſsiduis impellentium vaporum ictibus, cutis magis ac magis perforatur, ſicq; pili fiunt. Neque obſtat quod fæminæ quæ frigidiores ſunt citius pubeſcant quàm viri, cum id per accidens fiat, inſtat namque principium fluxus menſtruorum, cum autem nondum fluant, calore aduentitio in parte aucto, pilorum veloci eruptioni præbent occaſionem.

EFFECTA VENTORVM ORIENTALIVM.



158. Oca ventis Orientalibus expoſita, moderatiora ſunt in calore & frigore reliquis omnibus. Neq; enim calor vt in Meridiem ſpectantibus exuperat, neq; frigus, vt in ſitu Boreali excedit, ſed moderatam vtriuſque nanciſcuntur temperiem: hocq́ue ex ventorum Orientalium natura accidit. Experientia enim id docet, in ijs quæ vſui nobis, aut bono alicui futura ſunt, vt orientia ea primum, mox augeſcentia, non minùs vtilia nobis ſunt, quàm lætiora gratioraq́ue. Vnde fit, vt maiorem quoque ex Solis ortu aſcenſuq́ue, quàm ex deſcenſu voluptatem & vtilitatem ſentiamus; ſiue ſit, quod renaſcentem quaſi diem ea primum excipiãt: ſiue quod eandem ſortiantur temperiem & naturam, qualis auroræ eſt, & primæ partis diei; in qua exhauſtum pridiè humorẽ frigiditate & humiditate, cum nox reſtaurauerit, temperiemq́ue quaſi fecerit, ſuperueniente nouo eoque miti & placido Solis calore, iucundiſsimam illam quaſi manè excipimus, talemq́ue ſentimus, donec cæli iam medium occupante Sole, & alterum temporis ſpati-

um percurrente, abſumpto eo, qui moderatam prius faciebat temperiem humore, iterum ſicceſcant omnia. Cum verò orientem ſpectantes ciuitates primum Solem excipiant, ab eoq́ue protegantur maximè cum medium occupat, æquabilem quandam qualitatum temperiem & placidã naturam ſortiri eas neceſſe eſt. Hinc rectè colligebat Hippocrates, quod ciuitas quæ hoc modo iacet, Veri maximè ſimilis eſt, iuxta caloris & frigoris moderationem.

AQVÆ etiam Solis ortui expoſitæ, vi ſolis concoctæ & repurgatæ, limpidiores & ſplendidiores euadunt; cum nihil in ſe contineant, quod malitiam inferat, quodq́ue etiam viſui non ſit gratum. 159.

Olfactui quoque gratæ ſunt, quia nullum penitus habent odorem; nullus namque odor, quicunque tandem is fuerit, in aqua potabili gratus eſſe ſolet. Ob gratitudinem hanc, tales aquæ odoratæ aliquando vocantur: non quod odoris boni aut mali participes eſſe debeant aquæ laudabiles, ſed quod ita odore carere debent, vt naturam elementi referant: hoc modo fragrantes & odoratæ, hoc eſt, gratæ olfactui etiam dicuntur, quemadmodum dulces appellamus eas aquas, non quæ dulci ſapore præditæ ſunt, ſed quæ omnis generis ſapore carent. 160.

Molles quoque ſunt; quod non diutius in ventriculo morentur, ſed quam primum per vniuerſum corpus permeantes, alimentum aſſumptum & paratum ducere poſſunt. 161.

Hinc primò colligitur eas eſſe amabiles; cum enim Solem orientem primò excipiant, cruditas earum neceſſario corrigatur oportet: nam Solares radij, caliditate concoquentes craſsitiem aquarum, & duritiem naturalem auferunt. Exorientem verò Solem id præſtare dicimus non Meridianum, nam hæ quæ Solis radios à Meridie diutius & magis per rectam lineam excipiunt, deteriores ſunt, quod in ijs quæ concoquuntur quotidiana docet experientia; Quantò enim magis concoquuntur, tantò ſalſiora vſque ad amarorem euadunt. Accedit, quod cum aquæ craſsiores reddi poſsint & impuriores, ſi quando nebula vel caligo ijs admiſceatur; Sol manè exoriens cauſam hanc omnino auffert, eò quòd eam ſtatim conſumit, quæ alioqui prima parte diei ſolet adeſſe. 162.

Prætereà hinc patet loca orienti expoſita reliquis omnibus eſſe ſalubriora, etiamſi ſtadium ſolùm interſit. Quod attribuendum eſt tum temperiei, tum aquarum bonitati. 163.

164. Hominvm formæ melius coloratæ ſunt & floridæ, quam alijs cæli tractibus expoſitæ; cum enim Orientem ſpectantium locorum ſitus, ob aëris ambientis temperiem, aquarumque perfectionem ſaluberrimus ſit, vt iam oſtenſum eſt; ideò corpora quæ huiuſmodi beneficijs fruuntur, ad temperiem quandam accedere veriſimile eſt, ſanguineque pro ratione eſſe referta; vnde formas hominum potiſsimùm, aut facies magis coloratas & floridas alijs eſſe colligi poteſt. Debet autem faciei color hic optimus medius eſſe quodammodo inter album & nigrum, non tamen vt æquis inter ſe portionibus commiſceantur, ſic enim fuſcus euaderet, quo prope colore Æquinoctialis plagę habitatores eſſe ſolent, oliuarum ferè colorem referentes: ſed talis eſſe debet, vt caloris natiui in eo vincentis appareant notæ; cuius cum in corpore vis ſemper exuberet, æquabiliterque per vniuerſas partes diffuſa ſit, ita vt ne minima quidem in corpore reperiatur particula, quæ calorem hunc non ſentiat, fit vt ſanguis optimus per vniuerſum corporis ambitum diffundatur: ambiens autem moderato calore ad externas magis etiam eliciens, potiſsimùm ad eas partes quæ eius actioni magis ſubijciuntur, qualis eſt facies, colorem cuti addet floridum vegetumque, quem roſeum vocare licebit à roſis; non illis quidem rubore nimio purpureſcentibus, non etiam albis, ſed medij inter vtrumque generis, quas, quoniam benè à natura temperati, ideoque formoſi alicuius corporis ſuauiter efflorеſcentem in cute carnis colorem referunt, incarnatas vulgò vocant.

65 Voce clara præditi ſunt homines; cum enim regionem hanc incolentes temperati ſint, aut potiùs ad caliditatem vergant, ideò quoque ſatis amplâ arteriâ præditos eſſe oportet. Cum prætereà caput benè conſtitutum habeant, & aquas molles, facilè permeabiles, nec craſsiores durioréſue bibunt, leuem quoque & minimè humoribus excrementitijs aſperſam, haud imbibitam aſperam arteriam habeant oportet, ſed ſiccam mediocriter, ex qua ſonus clarior excitatur.

166. Ad iram moderatã, quæ videlicet ratione gubernatur, promptiores ſunt, quam qui Septentrionales ventos excipiunt; vtpote qui ad eam quæ vitioſa eſt, naturaleſque limites excedit, procliues magis exiſtunt: moderata enim ira & quæ rationi iuncta eſt, virtuſque eſt aut virtuti iuncta, quæque non ita leui negotio excitatur,

tempe-

temperatam quoque naturam insequitur, cumque promptitudine ad intelligentiam iuncta esse solet. Quæ verò rationis limites excedit, cum ob feruorem sanguinis, circa cor vicinasque partes excitetur, calidam cordis & internarum omnium partium intemperiem excedentem ostendit. Docet namque Galenus, ex duplici in nobis calore variè efferuescente, duplex iracundiæ genus prouenire. Calore enim naturali, sanguine scilicet, cum spiritibus ebulliente, ob rationalem aliquam causam, prior iræ species excitatur; aduentitio autem & præternaturali humore & calore internas partes, & cor potissimùm infestante & efferuescente, alia species producitur, quæ etiam quandoque non totius temperaturam, sed solius oris ventriculi mordicationem, corde interim in consensum tracto, sequi solet. Non tamen negamus, vt benè monuit Galenus, homines Septentrionales, vti Gallos, Germanos, Polonos, Thraces, Scythas, ad iracundiam magis esse propensos. Cum enim caro eorum frigida sit & humida, ventres autem calidi, ideo calor naturalis in illis ad viscera confugit, vnà cum sanguine: vbi dum agitatur & premitur feruetque, iracundi, audaces, & præcipitis consilij redduntur. Verùm id nobis nequaquam repugnat, tum quòd nos non de vitiosa ira agamus, sed de moderata. Deinde aliud est loqui de regione verè Septentrionali, aliud de loco ventos Septentrionales excipiente: in illis enim aër ambiens frigidus naturalem habitum corporis inducit ad irascendum pronum, qui in ijs produci non potest, cum aër ambiens diuersæ sit temperaturæ, venti verò illi non ita perpetui sunt.

In locis hisce morbi gignuntur & pauciores & mitiores; cum 167.
enim temperatus sit aër ambiens, difficilè corpora ad contrariã aliquam intemperiem à quacunque causa reduci poterunt: sed potiùs iam lapsa ad meliorem statum reducentur. Quod si ob externas aliquas causas, aut internas, in morbos incidant, ex ambientis temperie, & similitudine ad calorem nostrum innatum, benigniores vt plurimum euadent.

Dum verò Hippocrates verno tempore (cui regio hæc in tem- 168.
peramento similis est, velut anteà ostendimus) non parui momenti morbos, vt febres ardentes, phrenitides, difficultates intestinorum, morbos comitiales, &c. fieri asserit, non repugnat nostræ sententiæ. Non enim Hippocrates eos morbos recenset, vt Veris proprios,

proprios, ita vt eorum causæ in Vere producantur, sed vt Veris proprios, qui in præcedentibus temporibus anni nactam occasionem habuerunt: vt constat apud Hippocratem in serie morborum, qui aliorum temporum sunt peculiares: inter cæteros enim iterum horum facit mentionem. Reliqui verò morbi qui ibidem ab Hippocrate recensentur, tantum abest vt hanc sententiam infringant, vt eam potiùs confirment: pustulæ enim illæ vlcerosæ, & aliæ cutaneæ infectiones opera sunt naturæ trudentis excrementa ad cutem, atq; partes ignobiles, vnde debiliores & mitiores etiam euadunt: quinimo & hæc excrementa collecta sunt præcedentibus temporibus; si enim corpus aliquod optimis humoribus refertum, vernum tempus inuenerit, illud saluberrimum conseruat. Si igitur vernum tempus ex natura sua saluberrimum est, nec morbos solet producere exitiosos, nisi occasione sumpta ex præcedentibus temporibus, profectò id verum erit, in ea regione quæ vernum temperamentum sortita est, quod nihil habeat, quod eius naturalem bonam temperiem corrumpat.

169. Conueniunt autem morbi huius regionis qui verni ferè sunt, magis cum morbis æstiuis, & qui locorum calidorum sunt proprij, quàm cum hybernis, & ijs qui proprij sunt locorum Septentrionem spectantium: quod & vernum tempus & loca Orientem spectantia, ad caliditatem potiùs declinent, quàm ad frigiditatem. Alioqui absolutè loquendo cum neutrius loci morbis conueniunt: quomodo enim temperati loci morbi similes esse possunt morbis loci omnino intemperati, qui sæpenumero sunt lethales?

170. Mvlieres huius regionis fæcundæ sunt; siquidem mulieres eas fæcundas esse docuit Hippocrates quæ temperatũ habent vterum: hîc verò ob aëris temperiem, & homines, & partes corporis, seruatâ naturâ propriâ, eiusmodi rationem quandam in qualitatibus habere debent. Quemadmodum enim agri, in quibus sementem iacto semine facere solemus, præterquam quod neque arenosos, neq; squalidos, vt fertiles sint, neque palustres, nimioque humore madentes esse oportet, quod in prioribus humoris & alimenti inopiâ adolescere semina nequeant, in alijs nimio humore strangulentur: illud etiam vt fæcundi sint habere debent, vt iniectum semen nullo vitio præditum sit; si enim carie, rubigine, vetustate oblitum vel immaturum sit semen, si nimio humore quasi diffluat, aut nimia siccitate

ficcitate contabuerit, fructifer esse non potest: ita in animantibus hæc eadem licet obseruare, in quibus vt fæcunditas reperiatur, & semen opus est esse sine vitio, & vterum naturalem quandam moderationem habere. Quorum vtrumque regio hæc efficit.

EFFECTA VENTORVM OCCIDENTALIVM.

LOca ventis Occidentalibus exposita, siquidem Fauonijs solis perflarentur salubriora essent; quòd Fauonius temperatam quandam habeat naturam. Verùm cum & collaterales eius Argestem & Liba excipiat, qui humidissimi sunt & inæquales, qui etiã longiori temporis spatio perflant, ideò situ morbosissimo, veluti etiam ostendit Hippocrates positæ sunt huiusmodi vrbes, quæ ventos Occidentales excipiunt: siquidẽ & magna nebularum vis, & vaporum crassiorum multitudo, tum & pluuiæ frequentiores, in ijs conspiciuntur. 171.

AQVÆ situs huius non sunt splendidæ; quia nebula siue aër crassior & tenebricosus, in hoc situ tempore matutino, aquæ admistus, impedit, quominus pellucida sit, vtpote permeabilis, & vndique se insinuans. Nam cum à parte Orientis obstaculum supponatur, ideò ab ea parte, à qua Sol exoriri solet, tardiùs multò ea loca radios Solares excipient: quapropter non prius Solarium radiorum facultate & virtute fruuntur, quam bona diei pars iam pertransierit: cum autem aër potissimùm & aquæ ope radiorum Solis puriores reddantur, vbi breuiore tempore virtute eorum fruantur, minùs etiam proprias ipsi poterunt exercere operationes: quocirca quum Solares radij iam progressa prima diei parte vapores eleuent, illosque aëri & aquæ commisceant, neque ob moræ breuitatem, minusque robur possint eos dissoluere, succedente nocte potiùs crassiores redduntur, neque Sole sequenti die exoriente possunt dissolui, quòd exortos radios non statim excipiant, sed iam eleuatum Solem & proximè declinaturum; idque etiam faciliùs accidit ob ventorum naturam; sunt enim subfrigidi & vehementer humidi, vnde aërem crassiorem reddunt. Hinc efficitur vt flante Fauonio, canes leporum vestigia inuenire minimè possint, vt docuit Aristoteles. Neque verò turbulentia hæc hyeme tantùm locum ha- 172.

bet,

bet, ſed etiam æſtate, quo tempore auræ frigidæ ſpirant, & ros decidit: illæ ſiquidem vapores eleuatos vi caloris poſſunt craſsiores efficere, qui aquæ admiſti turbulentiorem reddunt, hic autem eleuatus & decidens, in multa quantitate craſsiores, turbidiores, & magis terreſtres aquas efficere ſolet: ſiquidem ros vapor eſt cum leui terreſtris partis portione condenſatus, in infimo aëris loco, qui cum maximè in aquam reſoluatur, inque huiuſmodi locis magnâ copiâ eleuetur, turbidiores, minuſque ſplendidas aquas efficit.

173. HOMINES à Sole dum occidit valdè aſſantur & percoquuntur; nam quamuis ob diuturnam moram id Sol præſtare nequeat, cum non niſi multùm iam eleuato & quaſi medium cælum Sole occupante illuſtrentur, aut certè inæqualiter admodum radij vſquead Meridiem perueniant, nihilominus cum ſubfrigidi ſint, & ſatis humidi venti, qui in ijs partibus perflant, & matutino tempore maximè vigeant: facilè vniuerſum corpus molle & præhumidũ reddere poſſunt, ſubſequente mox Solis calore maximo, cum non paulatim & obliquè Solares radij vt in cæteris eo influant, ſed iam validi facti, & quaſi recto tramite influentes perueniant: veriſimile etiam eſt humores in extima ſuperficie corporis exiſtentes percoquere.

174. Decolores quoque fiunt; optimo namque ſanguine efflore-ſcente, & externas partes cutaneas petente, color optimus roſeus efficitur: qui ſi aduratur ſubnigricans aut ſubliuidus redditur. Accedit, quod in hac conſtitutione ſanguis probus partes corporis non influat, ſed alij humores à natura ſanguinis diſtincti, qui per ſe malum colorem inducunt, multoque magis, radijs Solaribus vehementiùs adurentibus.

175. Debiles etiam huiuſmodi locorum incolæ ſunt; cum enim robur virium, & in bona corporis compoſitione, & in humorum proba temperie, & in ſpirituum recta conſiſtat generatione, vbi inæqualitas hæc temporum in vno & eodem die reperitur, vbi præterea humores nimium procoquuntur, difficilè bona humorum temperies, & recta ſpirituum generatio poteſt reperiri.

176. Morbi huius regionis varij ſunt; cum omnibus ijs qui cæterorum locorum peculiares ſunt, facilè homines huiuſmodi loca inhabitãtes corripi poſsint: cum enim in hoc ſitu pars ſuperior frigida

ſit &

sit & humida, quòd venti huiusmodi qualitatis tunc spirent, nec Solares radij eorum intemperiem corrigere posṡint, quòd tunc vix conspiciantur: posterior autem summè calida, quòd validiùs Sol & quasi è directo ea loca respiciat, verisimile est, variè admodū & quasi contrario modo affici homines, & ideò etiam inconstantes morbos & varios generari, constipatis noctu & ante meridiem cutis corporis meatibus, post meridiem verò ijsdem laxatis & dilatatis; vnde & morbi omnes ex putredine facilè producentur, obstructione putredinis altrice & perductrice coadiuuante; tum etiam calore præternaturali externo superueniente, qui efficiens est huiusmodi putredinis. Hinc febres putridæ, pleuritides, vlcera depascentia, potiṡsimùm in inferioribus partibus: hinc alui profluuia & dysenteriæ, pituitâ aut bile è capite descendente, & intestinorum tunicas vellicante & abradente: hinc prætereà morborum reliquæ species ferè omnes, quæ cæterarum positionum locorum peculiares esse solent.

Graui voce præditos homines & raucos esse propter aërem inspiratum verisimile est; qui cum craṡsior sit quàm par est, vaporibusque excrementosis nimium refertus, neque ab Aquilonibus expurgatus, necesse est grauem ob humiditatem, & latitudinem instrumenti, & raucam ob humida excrementa ad organa continuò affluentia, sæpenumero in ijs vocem exaudiri. 177.

Situs huiusmodi loci, secundùm diei mutationes, similis est Autumno; eò quòd magnum discrimen sit, inter matutinum & vespertinum tempus: cum enim docente Hippocrate, in quibus locis modò calor, modò frigus vigent, expectandi sint morbi frequentiores & maiores, ea sanè viciṡsitudine Autūni naturam sequuntur. Adhæc, si ventorum occidentalium simul sumptorum naturam considerauerimus, cum naturâ inter se diuersi sint, ideo situs in quo illi aṡsidui sunt inæqualis omnino & Autumno maximè similis statuendus est: noctu enim, & horis ante meridiem, ambiens Autumni tempore solet esse frigidus, horis autem pomeridianis calidus. Pari ratione, ambiens huiusmodi locorum tum inæqualis est, & diuersus, ob naturarum diuersitatem, quæ in ventis perflantibus reperitur; tum etiam quòd venti occidentales ante meridiem spirantes, multò frigidiores sunt seipsis horis pomeridianis. Vnde inquit Auicenna, Fauonium vesperi potiṡsimùm suam salubritatem habere. 178.

 At

179. At dicet quiſpiam, idem etiam ciuitatibus Orienti expoſitis accidere. Quemadmodum enim antè meridiem Sol Occidentales ciuitates non calefacit, ita Orientales horis pomeridianis relinquit. Verùm dicendum, ſufficere ad calorem, in prima diei & media parte acquiſitum conſeruandum, Solis ſuper terram conſiſtentiam pomeridianam: eum verò qui poſt meridiem aduenit, à nocte ſuccedente, quamprimum poſſe auferri. Prætereà Orientalis locus vſque ad meridiem Solis radijs illuſtratur, qui multò mitiùs calefacere poſſunt, quàm à Meridie ad Occaſum vſque. Vnde cum extremæ mutationes morbos quam plurimos parere ſoleant, ſequitur quod ciuitates Occidentales multò ſint inſalubriores, quàm ciuitates Orientem ſpectantes.

SIGNA VENTORVM EX REBVS VARIIS DESVMPTA.

180. DESVMVNTVR ventorum ſigna ex varijs rebus; quorum præcipua ea ſunt, quæ ab apparentijs circa cæleſtia contingentibus ſumuntur. Poſtea ſuccedunt ea quæ à rebus in aëre conſiſtentibus atque animalibus; quinimo & ijs quæ in terra reperiuntur: quorum ſingula à Theophraſto lib. de ventorum ſignis, pulchrè quidem, ſed breuiter tradita ſunt. Nos eiuſdem ordinem ſeruantes, ſingula fuſiùs, adiectis etiam ſingulorum cauſis, proponemus.

181. SI SOL itaque exoriens ferueat, nec ſuos fulgores emittat, ventos nunciat; exhalatio namque cum in aëre abundat, poteſt radios Solis reddere hebetiores & calorem augere: prætereà cum calor coruſcans Solis proprius ſit, eique congruat, cum purus omnino exoritur, ideo ſi non coruſcat, ſignum eſt ab exhalationibus impediri, ac proinde ventum minatur: ſi enim vapores eſſent, qui obſtarent, non ſolum non coruſcans, ſed omnino ater appareret.

182. SI SOL concauus appareat, ventum vel aquas portendit; concauitatis namque ab Ariſtotele traditur cauſa, cum ſplendidum corpus quale exhalatio accenſa eſt, à nigra aliqua concretione & cęrulea circundatur, tunc namque hiatus cuiuſdam & foueæ redditur in aëre imago & apparentia, illius exhalationis accenſæ lumine per atrum & cæruleum interrupto. Vapores itaque & exhalationes

Solem

Solem in Ortu circumdantes eum concauum reddunt: Iure igitur imbres aut ventos expectandos monet Aratus inquiens.

Ἀλλ' οὐχ' ὁππότε κοῖλος ἐειδόμενος περιτέλλοι. id est.

At non quando cauus apparens exoriatur

Virgilius quoque elegantissimè idem signũ expressit hisce versibus,

Ille vbi nascentem maculis variauerit ortum
Conditus in nubem, medioq́ refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres; namque vrget ab alto,
Arboribusq́ satisq́ Notus, pecoriq́ sinister.

Plinius autem de hoc signo ita loquitur. *Concauus Oriens pluuias prædicit:* qui, vt patet, pluuiarum tantum non venti voluit esse argumentum.

Sol si per plures dies ferueat, squalores & flatus diuturnos significat; æstus namque hîc à calidæ exhalationis copia, in aëre existentis prouenit. Si ergò æstus pluribus diebus duret, meritò flatus & squalores promittit. 183.

Solis radij si in exortu spargantur, partim ad Austrum, partim ad Aquilonem, pura circa medium illius serenitas sit licet, pluuiam tamen ventosque significabunt, vt expressis verbis docent tum Theophrastus, tum Plinius, quorum posterior ab Arato sua descripsisse videtur, qui hoc signum ita ad verbum exponit. 184.

οὐδ' ὁπότ' ἀκτίνων αἱ μὲν νότον αἱ δὲ βορῆα
σχιζόμεναι βάλλωσι, τὰ δ' αὖ περὶ μέσσα φαείνῃ
ἀλλά που ἢ ὑετοῖο διέρχεται ἢ ἀνέμοιο. id est.

Neque quando ex radijs quidam Austrum quidam Boream
Scissi tangant, media autem lucida sint:
Sed tum vel pluuiam ostendit, vel ventum.

Existente namque lucida & pura serenitate circa Solem spargi radij & scindi non possunt, nisi exhalationibus & vaporibus circa Solem existentibus; vnde & imbres & venti expectandi sunt.

Sol & Luna si colore rubro afficiantur & igneo, ventorum erunt signa, ob exhalationem coloris rubri causam, vti canit Aratus de Sole, Luna, & Nubibus agens 185.

Εἴ τί που ἢ καὶ ἔρευθος ἐπι τρέχει, οἷάτε πολλὰ
ἑλκομένων νεφέων ἐρυθραίνεται ἄλλοθεν ἄλλα,
Εἰ καί που μελανεῖ, καὶ σοι τὰ μὲν ὕδατος ἔστω
Σήματα μέλλοντος, τὰ δ' ἐρευθέα πάντ' ἀνέμοιο· id est.

Si quando vel rubor incidit vt sæpè
Attractis nubibus rubescit alicunde aliter;
Aut si quando nigrescet: & tibi hæc quidem pluuiæ sunt
Signa futura, rubea verò omnia venti,

De Luna paulò supra ita egit,

πάντα δ' ἐρευθομένῃ δοκέειν ἀνέμοιο κελεύτους· id est.

Omnino verò rubens conijcito venti meatus:

Virgilius de Luna ita cecinit.

At si virgineum suffuderit ore ruborem
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.

Plinius de Luna ita. *Si quartam orbis rutilus cingit, ventos & imbres præmonebit.* Et paulò post. *Si plenilunio per dimidium pura erit dies serenos significabit, si rutila ventos, nigrescens imbres.* Ptolemæus de vtroque lumine & nubibus inquit. *Purus igitur Sol & tenebrarum nubiumq; expers non varius, si oriatur & occidat, serenitatem præmonet: circulum autem varium habens, vel subrubeum, aut radios rutilos effundens siue extra, siue in seipsum reflexos, vel nubes quæ parelij dicuntur ex vno latere habens, aut rubras nubium figuras & radios circum sese in longum tendentes, vehementes flatus significat, pro ijs angulis quos respexerint visa illa.* Et paulò post. *Luna tenuis & rubra, totumq; orbem conspicuum habens & tremulum etiam, quâ parte non illustratur,*
186. *ventos maximè declinationis suæ ciet.*

Verùm huic signo & ratione & clarissimorum virorum authoritate confirmato, obstare videtur Christi sententia, dum Pharisæis signa aduentus petentibus ostendit his verbis. *Facto vespere, dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cælum. Et manè, hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.* Quibus verbis, vespertinam cæli rubedinem, serenitaté præmonstrare, non verò ventum significat. Verùm si rectè verba Christi percipiamus, dicemus rubediné signum esse posse venti simul & serenitatis, si tamen primò ventũ nunciare intelligamus. Vnde Christus vtitur voce εὐδίας dum serenitatem significat, inquiens εὐδία: πυῤῥάζει γὰρ ὁ οὐρανός· est auté eudia serenitas quædã in aëre à ventis

ventis producta. Vnde Aristoteles ὁ μὲν γὰρ νότος εὐδίαν ποιεῖ, id est. *Auster autem facit eudiam* Certum est Dominum de eiusmodi eudia hoc loco agere, in qua constitutione aër Austri flatum perpetitur cum serenitate coniunctum: quandoquidem rubedo, siue ad ortum conspecta, siue ad occasum, non tantum generaliter ventum significat, sed peculiarem quoque ventum, pro situs ratione, ad quem inclinat. Neque enim cælum tantum sed terra quoque contuenda est; vnde Christus faciem terræ commemorat inquiens. *Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare &c.* Atqui ipse Iudæis loquebatur ac Hierusalem habitatoribus, apud quos potissimùm verum etiam est, vt Didacus rectè animaduertit, nubem de occasu surgentem pluuias minari. Quanquam non Iudæis tantum id est proprium, sed omnibus commune, cum scilicet Sol nubilus occumbit, pluuias portendi, verùm Iudæis potissimùm: habet enim Palæstina ab occasu Ægyptiacum pelagus & Mediterraneum præsertim Æquinoctiali & Æstiuali; vnde atræ nubes ad illos cæli maximè angulos conspectæ, pluuiarum illis certa indicia erunt. Cæterùm quoniam tota Africa continens Palæstinæ ab occasu est Brumali, exhalatio verò ex terra ipsa maximè oritur, idcirco vespertina rubedo ventos Austrinos præsertim poterat regioni illi præmonstrare. Meritò igitur inquit Dominus, *facto vespere dicitis eudia erit, rubicundum est enim cœlum*: spectantibus enim Iudæis ad occasum rubedinem, *eudiam* augurabantur, Austrum videlicet cum serenitate: est enim locis illis Auster serenus, ob sui ortus propinquitatem, vulgata verò editio serenitatem tantum exprimit, sed intelligendum est, illam Austri flatum coniunctam habere, nam rubedo ventum primò ostendit. Itaque eudia hoc loco sine vlla dubitatione pluuijs tantum opponitur, non autem vento.

Quod autem adfert Albertus Magnus rubedinem matutinam 187.
pluuias, vespertinam verò serenitatem indicare, nobis minimè placet, vti nec causa hisce verbis expressa. *Alterum autem, quare rubor in manè significat pluuiam, & in serò significat serenum: Quia scilicet in manè rubor est signum, quod Sol vaporem eleuatum in inferiori hemisphario trahit secum ad superius, & ibi calore suo facit ascendere ad locum altum frigidum, vbi est generatio pluuiarum. In serò autem rubor signum est, quod Sol vaporem eleuatum in superiori hemisphario trahit secum ad*

inferius hemisphærium, & emundat superius hemisphærium, & serenat ipsum à vaporibus, ex quibus generantur pluuiæ. Quanquam alibi de causa colorum in nubibus agens, matutinam rubedinem alia ratione, nimirũ propter maximam vaporum humiditatem, pluuias indicare his verbis scripsit. *Si autem nubes habeat in se humidum fumosum, admixtum aliquantulum terrestri adusto: & recipit radios in se corporum superiorum, fiet rubea nubes, quæ aliquando habet purpuream rubedinem, radijs inferius venientibus, ad humorem nubis in manè vel in serò: & hoc significat pluuiam in eodem die futuram, si fuerit in manè, quando vapor quem Sol adducit significatur esse vehementer humidus & iam præparatus ad conuersionem.* Verùm hæc Alberti opinio reijcienda est, nam rubedo nullatenus pluuiarum signum esse potest, nisi nigredo quoque accedat, siue manè siue vesperi appareat. Secundò rubedo vespertina non cogit vt credamus Solẽ vna secum vaporem deferre, quandoquidẽ ex Aristotelis & Theophrasti sententia occidui venti Sole ad Occasum accedente gignuntur per æstatem, quia Sol labens ex inferiori hemisphærio materiã attrahat: Quamobrem poterit Sol etiam cum occumbit, non solùm ex nostro ad inferius hemisphærium vapores secum ducere, sed etiam ex inferiori in nostrum mittere.

188. Nec magis tuta sunt, quæ Granatensis verba Christi præfata explicans, adducit, inquiens Solem manè & vesperi nubem illustrare, hoc tamen discrimine, quia nubes manè illustrata incrassatur, & ideò luce consumpta tenebrescit, & in aquas dissoluitur: & contrà nubes quæ vesperi fulget, sensim absumitur, & ideò futuram serenitatem præmonstrat. Videntur enim hæc voluntariè dicta, cùm nulla appareat naturalis ratio, quare nubes manè debeat incrassari, vespere verò emarcescere, quin potiùs ob noctis iam accedentis frigus, atque ob Solis discessum contrarium dicendum videatur.

189. Franciscvs Valesivs verba Christi præfata expendens, ita scribit. *Huius quoque si fieri potest, reddenda hoc loco causa est, ea verò mihi esse videtur, quod nubes densæ tactæ Sole obliquo, qualis est qui iam occidit, nigriciem præ se ferunt. Quæ ergo rubicundæ sunt, non sunt adeò opacæ & densæ, sed penetrantur lumine, quapropter in diem posterum nullum indicant tempestatis apparatum; serenitatem ergò promittunt. Cum verò oriente Sole triste hinc inde & nubilosum se exhibet cælum, plerunque solent ad primum orientis Solis occursum dispergi nubes. Quæ tamen si densæ sunt, quales cum triste est cælum, non dissipantur, sed excepti per eas radij Solis videntur rutilare. Postremò verò,*

verò vesperi, cum Sol cum quo toto die sunt colluctata languescit, concurrunt, densantur fiuntque imbres. Hæc Valesius in quibus multa sunt quæ non parum difficultatis habent. Nam primum densitas simpliciter non est nigredinis causa, deinde non sufficit raritas ad nubium rubedinem generandam, quamobrem rubedinis causa sufficiens erat Valesio assignanda. Tertiò matutina constitutio quoniam valida est, nullatenus plerumque ad primum orientis Solis occursum dispergitur, sed è contra concrescit, & imbrem, non in sequentem noctē, sed mox interdiu gignit. Vnde inquit Christus. *Hodie tempestas.* Demùm, nullo modo possunt radij per densas nubes illas excepti, rutilum, hoc est, rubicundum cælum reddere, cùm nubes densæ obliquis radijs tactæ, quales sunt Solis nuper orientis, nigritiem præ se ferunt.

Si ante quartam Lunam Aquilone dominante, Lunæ cornua recta fuerint, Fauonij efflare solent, hyemalisque totus mensis erit: quod & Aratus adnotauit. 190.

Εἰ δ' ἐκ' ἐπ' ἀμφοτέρον κερχῶν, τρίτον ἦμαρ ἄγουσα
Μή τέ τι νευσάζοι μήθ' ὑπτιόωσα φαείνοι,
Αλλ' ὀρθαὶ ἑκάτερθε περὶ γίαμπτος ἀεραῖαι
Ἑσπέριοι κ' ἄνεμοι κείνην μεσὰ νύκτα φέροιντο.

hoc est. *Sin autem in ambobus cornibus tertiam diem agens*
Neque nutet, neque resupina luceat
Sed recta vtrinque inclinent cornua
Occidentales venti illam post mediam noctem agitarentur.

Theophrastus idem signum tradens supponit, cum Lunæ cornua directa cernuntur, Aquilonem dominari; & propterea subdit, Fauonios solere ἐπιπνεῖν, vnde vult vnà cum Aquilone Fauonij quoque flatum excitari. Causa huius rei eadem adferri potest, quam Cardanus de Asello Boreo vel Austrino attulit: cum enim cornua diuersam, quam suâ naturâ debeant, reddunt apparentiam, signum est, circa illam aëris partem, quæ cornibus respondet, exhalationē esse congregatam, quæ hanc efficit varietatem. Theon Arati interpres causam huius rei in aëris qualitates diuersas refert, atque in eius expulsionem, quam venti faciunt, cum moueri incipiunt. Cum enim venti aëris magnam copiam quam ante se habeant, surgentes pellant, aërem hunc pulsum varias efficere in Lunæ cornibus appa-

 rentias

rentias, arbitratus eſt: quamobrem ſi flarè incipiat Fauonius, cornua ambo ad Ortum prona reddi ſcribit; ſi Subſolanus eſt, contrà reſupinata; ſi Aquilo, Septentrionale cornu inflexum & curuum; ſi Auſter, Auſtrale &c. Fortaſſe non fuerit à veritate omnino alienum, ex Lunæ ſitu, varias has in cornibus apparentias effici; non ſolùm quòd exhalatio in aëre vigeat, vt Cardanus, vel quia moueatur aër, vt Theon voluit; ad Auſtrum enim deiecta Luna mouet Auſtros; vnde meritò Auſtrinum cornu ſignum dat; ſi in Aquilonem vehatur, Aquilones, vnde & cornu Septentrionale obſeruandum erit. Quod ſi citius appareat à Sole digreſſa, quia videlicet occaſui ſit proximior, occiduos flatus commouere poterit. Verùm hæ
291. coniecturæ tantùm ſunt ſenſuum fide experiundæ.

Cum ante quartam Lunam ſuperius cornu Lunæ acuminatum erit, menſem portendit Aquilonium; cum verò inferius, menſem Auſtrinum. Hoc ſignum à Plinio hiſce verbis proponitur. *Cornu eius Septentrionale acuminatum atque rigidum, illum præſagit ventum: inferius Auſtrum.* & alibi de ventorum varijs figuris agens. *In quinta, cornua eius obtuſa pluuiam: erecta & infeſta ventos ſemper ſignificant.* Aratus addit, ſi cornu Septentrionale fuerit reſupinatum Auſtros portendere, quod idem de Auſtrino etiam affirmare poſſumus: ſi enim acuminatum fuerit, Auſtrum, ſi reſupinatum, Aquilonem ſignificabit. Carmina Arati ſunt hæc.

> Εἰ δ᾽ ἐκνεύει κεράων τὸ μετήορον εὖ ἐπινεύοι,
> Δειδέχθαι βορέω, ὅτε δ᾽ ὑπτιάησι, νότοιο.
> *Sin autem eius cornu ſuperius aptè nutet,*
> *Expecta Boream: cum verò reſupinet, Auſtrum.*

Cauſa huius ſigni ex ſuperiori patet. Rectè autem addit Theophraſtus, menſem totum Aquilonium vel Auſtrinum expectandum eſſe; quandoquidem poteſt aſpectus hic de totius etiam menſis ſtatu decernere: ſi Ptolemæo credimus qui aſſerit, ſi nouilunium proximè præceſſerit, altero quatuor punctorum cardinalium, eo toto illo quadrante eſſe vtendum: ſi anteceſſerit plenilunium, aſpe-
292. ctum hunc eſſe obſeruandum.

Circa quartam diem ſi vtraque cornua directa fuerint, nec vt debent inclinata, nec pulchrè orbiculata, ad dimidiam vſque Lunã hyemari conſueuit; ſi ignea vel rubicunda, ventum portendere creditur

ditur. Cùm verò Luna cum primùm ſeſe præbet conſpiciendam maximas afferre poſsit mutationes, igitur & diuturnas: itaque & propter aſpectum & propter Aquilonem poſſe ſignum illud totum menſem portendere hyemalem anteà diximus. Circa quartam verò Lunam ſextilis fit configuratio, quæ multò ſolet eſſe imbecillior. Vnde nihil mirum ſi hoc ſigno pauciorum dierum tempeſtas præſagitur. De quarta Luna ita Plinius. *Si ſplendens exorta Luna puro nitore fulſit, ſerenitatem: ſi rubicunda, ventos: ſi nigra, pluuias portendere creditur.*

Mergi anateſque, tùm naturâ cicures, tùm agreſtes pennas roſtro purgantes, diu multumque alas excutientes, ventos ſpondent; cum enim aues eæ pluuiam maximè praenoſcant, qualis plerumque ſine ventis eſſe non ſolet, ideò iure aues illæ ventos quoque præſagient. 193.

Fulicæ tranquillitate exiſtente, quo euolârint, ventum prænuntiant. 194.

Paſſeres tumultuoſæ, per hyemem veſperi obſtrepentes & pipillantes, vel mutationem venti vel pluuias indicant. 195.

Ardeola multùm obſtrepens, ac mare fugiens, venti eſt indicium: quod ſi magnos det clangores, ingentes minatur. 196.

Canis humi ſe volutans, magnos ventos pollicetur. Hæc omnia ſigna inde veritatem habent, quod animalia mutationis futuræ, ad frigora & calores congenitum & natiuum ſenſum habeant. Naturæ enim rerum omnium ac præſertim animalium ſine doctore doctæ ſunt, & perinde operantur, quæ citra intelligentiam ducuntur non cognitione finis, ſed naturâ, quaſi ſummâ ſapientiâ præditæ eſſent: imò verò hæ ſolæ non aberrant. 197.

Refluxus maris fluxu maior Aquilonios flatus, fluxus verò refluxu maior, Auſtrinos prænunciat tanquam effectus cauſam à qua producitur. Etenim Ariſtoteles cauſam omnem æſtûs maris retulit in ſpiritus, vti tum ex Theophraſto ſignum hoc proponente colligi poteſt, tum ex ipſo Ariſtotele qui idipſum docet ad finem lib. 4. de animalium ortu his verbis, ὥσπερ γὰρ καὶ θάλατταν καὶ πᾶσαν ὁρῶμεν τὴν τῶν ὑγρῶν φύσιν ἱσαμένην καὶ μεταβάλλουσαν κατὰ τὴν τῶν πνευμάτων κίνησιν καὶ στάσιν· τὸν δὲ ἀέρα, καὶ τὰ πνεύματα, κατὰ τὴν τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης περίοδον, οὕτω καὶ τὰ ἐκ τούτων φυόμενα καὶ τὰ ἐν τούτοις ἀκολουθεῖν ἀναγκαῖον· κατὰ λόγον γὰρ ἀκολουθεῖν 198.

ἀκολουθεῖν

λουθεῖν· καὶ τὰς τῶν ἀκυρωτέρων περιόδους, τὰς τῶν κυριωτέρων· βίος γάρ τις καὶ πνεύματος ἐστὶ, γένεσις καὶ φθίσις. Hoc eſt. *Quemadmodum enim cernimus mare & omnem humidorum naturam quieſcere & moueri pro ſpirituum motu & quiete: aërem verò & ſpiritus pro Solis & Lunæ periodo; ita & quæ ex his & in his oriuntur Solis & Lunæ periodum ſequi neceſſe eſt: rationi enim conſentaneum eſt, rerum minus principalium & eorum quæ ſubſunt periodos: ſequi rerum periodos quæ dominantur.* Hæc ille: vbi voce πνευμάτων non duntaxat ventus aut flatus, ſed potiſsimùm quem paſsim ſchola philoſophica ſpiritum appellat, intelligi debet. Argumentatio autem Ariſtotelis eſt talis: mare & omnis humida natura mouetur & quieſcit ad motum ſpiritus, ſpiritus mouetur & quieſcit ad motum Solis & Lunæ: igitur mare & omnis humida natura mouetur & quieſcit ad periodũ Solis & Lunæ. Item ſpiritus mouetur & quieſcit ad periodum Solis & Lunæ, animalia ex ſpiritu conſtant & ex humida natura, atque in humida natura & mari & aëre generantur: igitur animalia ad Solis & Lunæ periodum quieſcunt & mouentur, & quod idem eſt, ſequuntur horum ſiderum periodos.

199. Sed cur refluxus Aquilonijs, fluxus verò Auſtrinis tribuitur à Theophraſto? cauſa ſanè inueſtigatu difficilis videtur, probabilis tamen talis eſto. Si aëris flatus Auſtrinus fuerit, quoniam ambiens calidus eſt, maris interiora frigeſcunt, qua de re minùs aptum eſt mare, vt in eo & potens & multus ſpiritus generetur: ſi igitur tunc contingat refluxum ſolito maiorem fieri, id certum ſignum eſt ex Auſtrino flatu fieri in Aquilonium mutationem, quoniam maris aqua iam tali affecta conſtitutione denſari incepit & compingi; ac ſubinde minus apta fieri, vt à ſpiritu moueatur, alioqui ob dictam cauſam imbecillo; vnde & fluxûs reſpectu, multò maior cernitur refluxus: parum enim tum aqua attollitur, ac intumeſcit, refluitque inſigniter, & recedit, ita vt refluxus ſolito maior eſſe videatur. Simile locum habet in ipſo fluxu, nam ſi aëris flatus fuerit Aquilonius, quoniam frigidus aër eſt, mare neceſſariò eſt calidum, propterea & multus & potens in eo ſpiritus generatur. Quod ſi iam ſenſim & occultè incipiat Auſtrinus flatus imperare, maris aqua liquari incipit & diffundi, ac ſubindè aptior eſt, vt facilius à ſpiritu potentiſsimo moueatur; quocirca ingens efficitur flatus, ac multò maior refluxu. Verùm ratio hæc probabilitatem duntaxat continet; eſt enim

adeò

adeò perobſcurum tale ſignum vt etiam hoc vnicum Aratus, Plinius, Virgilius & Ptolemæus ſilentio prætererint.

Araneæ multæ per aërem latæ, futuri flatus, vel hyemalis temporis dant indicium; huius rei duplex adfertur cauſa ab Ariſtotele problem: 61. ſect. 26, Aratus ſignum hoc ita expreſsit. 200.

Μὴ δ᾽ ὅτε νηνεμίῃ ἐν ἀράχνια λεπτὰ φέρηται. &c. id eſt.

Neq; quando in ventorum tranquillitate aranea graciles feruntur. &c.

Mare intumeſcens ventos prædicit. Aratus ſic. 201.

Σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα

γιγνέσθω. id eſt.

Atqui ſignum venti etiam intumeſcens mare

Eſto.

Plinius cauſam etiam explicans, ita inquit: *Sæpè & ſilentio intumeſcit: flatuq; altius ſolito iam intra ſe eſſe ventos fatetur.* Quo loco, pro *flatuq;* legendum puto *factumq;* vt ſenſus bonus ſit. Ex hoc loco colligere licet ſpiritum eſſe cauſam, vt mare intumeſcat, qui de mari quaſi expirans vehementes ventos interdum gignit.

Montes, ripæ maris, quaſi vocem edentes: littora quoque ſi reſonabunt, ventos augurantur. Aratus de ijſdem hoc modo. 202.

——— καὶ μακρὸν ἐπ᾽ αἰγιαλοὶ βοόωντες.

Ἀκταί τ᾽ εἰνάλιοι, ὁπότ᾽ εὔδιοι ἠχήεσσαι

γίνονται. id eſt.

——— *et multum margines inſonantes,*

Littoraq; marina, cum ſerena arguta

Fiunt.

Plinius ſic. *Eſt & aquarum ſignificatio. Mare ſi tranquillum in portu à curſu ſtabit, & murmurauerit intra ſe, ventum prædicit. Si identidem, & hyemem & imbrem. Littora ripæq;, ſi reſonabunt tranquillo, aſperam tempeſtatem: item maris ipſius tranquillò ſonitus ſpumaq; diſperſa, aut aquæ bullantes, &* mox. *Atque etiam in campis tempeſtatem venturam præcedens ſuus fragor: cæli quidem murmur non dubiam habet ſignificationem.* Virgilius etiam ante illum de eodem ſigno:

Continuò ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere: & aridus altis,
Montibus audiri fragor: aut reſonantia longè
Littora miſceri: & nemorum increbreſcere murmur.

Verùm causa inuestiganda est, quare sonus hic tum in mari tum in littoribus fiat, atque etiam in montibus: sonus aut est insolitus omnino aut solito maior: causa dependet tota à medij aëris videlicet qualitate, hanc Alexander perbellè his verbis expressit. *Et soni & voces, quæ per humidiora media fiunt, grauiores sunt; grauiora autem cũ maiori mole.* Aristoteles quoque voces nostras hyberno tempore esse grauiores asserit, quoniam aër interior tunc &exterior crassior est. Patet idcirco ex his, voces & sonos, quos & fluuiorum & maris littora edunt, per aërem humidiorem & crassiorem transeuntes, grauiores reddi: quod quidem certum est pluuiarum argumentum: quandoquidem instante pluuia crassior aër & humidior efficitur. Ventos autem cur fragor ille prædicat, docet Aristoteles, scribens in nonnullis AEoli insulis cum flaturus est Auster, ea loca, vbi efflationes fiunt sonum emittere, vel quia spiritus è mari propellatur, vt Alexandro placet, vel vt Vicomercato, quia ad concauitatum latera allidatur, dum videlicet infrigidato aëre externo pellitur spiritus ad interiora, qui internum aërem & concauitatum latera verberat, & sonum causat. His consonant ea quæ 3. Regum cap 18. describuntur. *Et ait Elias ad Achab; ascende, comede & bibe quia sonus multæ pluuiæ est.* Et ad finem cap. *Cumq; se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.*

203. Dies post brumales conuersiones quintus decimus plerumque Austrum præsefert, vt docet Aristoteles; quia conuersiones ipsæ principium quoddam sunt, Sol verò, cum in ipso principio est, maximè aërem mouet; tenens verò conuersiones hybernas ad Austrum vergit, vt meritò Austros tunc excitare debeat: nam quia principium attingit, debet mouere aërem: quia verò principium tale quod ad Austrum est, aërem debet Australem commouere, itaque Auster per id tempus excitabitur.

204. Cum porrò Aristoteles inquit diem septuagesimam à brumali conuersione Australem esse; præterea cum dixerit adeo Solem esse remotum à loco vnde Austri oriuntur, vt minus possit illos excitare; mirum alicui videbitur id decimæ quintæ diei posse ascribi. Verum respondere licebit, eo loco de Etesijs Austrinis sermonem haberi, qui ex materia iam conglaciata oriuntur, & continui magis spirant, quam reliqui Austri. Itaque dum asserit Philosophus Solem anteà minùs posse ob distantiam; fatetur tamen aliquid pos-

se.

ſe. Cum enim tribus anni partibus flare Auſtri ſoleant ex Ariſtotelis ſententia Hyeme, Vere & Autumno; Sol die decima quinta à brumali conuerſione, nempe hyeme, minus poteſt quidem, ſed tamen aliquid, videlicet ex terra illa, ob Solis diſceſſum pluuijs madidi, exhalationes aliquas gignere, ex quibus Auſtri fiant, non tamen continui. Vere autem ineunte proximior factus, magis poteſt, nimirum Auſtrinos Eteſias ex materia anteà concreta generare, & proptereà Auſtros continuos magis; licet Eteſiarum Aquilonariũ reſpectu, minùs continui dici debeant.

Aquilonem prænuntiat terra ſicceſcens repente; Auſtrum humeſcens rore occulto, inquit Plinius: qui hoc ſignum deſumpſit ex Theophraſto ita ſcribente. *Spirantibus Aquilonijs flatibus ſiccantur omnia, Auſtrinis verò humidiora redduntur.* 205.

Si flante Aquilone, eorum crepitus audiatur, quæ pridem conglutinata, cum Auſter dominatur, remitti ac reſolui ſolent, indiciũ eſt in Auſtrales ventos fieri mutationem. 206.

Si pedes intumeſcant, rurſus Auſtrinam mutationem indicant; excitatus enim calor & humor alienus, in parte illa corporis tumoris cauſa eſt: atqui calor alienus & humor Auſtrino flatu excitantur. Verùm pedes non niſi valida exiſtente conſtitutione hac, tanquam minus ſenſibiles poſſunt intumeſcere: & valido Auſtrino imperante flatu Ecnephias, hoc eſt, procella pertimenda eſt; non fit enim Ecnephias Aquilonijs temporibus ſed Auſtrinis: cum Ecnephias ſpiritus ſit ex nube confertim & denſior excretus, atque eliſus, ac ſubinde violentus, qualis in valido Auſtrino flatu excerni facilè poteſt. 207.

Herinacius terreſtris ſubterraneum cubile ſibi fodiens, ventum prænuntiat; quibus autẽ locis inhabitat dûo foramina efficere ſolet, vnum quidem ad Auſtrum, alterum verò ad Aquilonem, & qualecunq; obturauerit, illinc ventos emerſuros indicat: ſi ambo, magnos prænunciat, vt inquit Theophraſtus: Ariſtoteles idem ſignũ hiſce verbis deſcribit. *De herinaciorum ſenſu locis multis perſenſum eſt, vt qui in cauernis ſunt, commutent ſua cubilia Aquilonum & Auſtrorum mutatione. Qui autem intra tecta aluntur, ad parietes diſcedunt.* Quod ita fieri cum Byzantij quidam animaduertiſſet, conſecutus exiſtimationem eſt, vt tempus futurum poſſet præſagire. 208.

Si mare de repentè tranquillum reddatur, flatûs mutationem vel incrementum præſagit; ſignificat namque ventum illum iam 209.

ſedari à quo commouebatur, vnde meritò flatûs promittit mutationem. Verùm quoniam exhalationes intra ipſum mare genitæ & in ſpiritum conuerſæ, illud etiam agitare poſſunt, quæ exeuntes ventos pariunt; propterea repentina maris tranquillitas, poteſt flatûs quoque incrementum ſignificare, augeſcente nimirum marinis exhalationibus venti flatu.

210. Si montium cacumina ſolito altiora appareant, vel inſulæ ex vna multæ ementiantur, Auſtrinam promittunt mutationem; aër enim craſsior redditus, eiuſmodi apparentias in aëre gignit. Atqui craſſus maximè efficitur ob Auſtri flatum: meritò ergo ſigna hæc Auſtrum portendunt.

211. Terra ſi nigram ſeſe oculis cernendam præbeat, Aquilonios: ſi albam, Auſtrinos ſpiritus promittit; Aquilo enim minus aërem perturbat, imo & ſerenum reddit. At omne quod minus perturbatum eſt, nigri reddit apparentiam: hinc ſerenus aër eminus inſpectus & in profundo, proximè apparet colore cyaneus, propter raritatem: meritò igitur terra ſi nigram ſe præbeat conſpiciendam, Aquilones, ſi albam, Auſtros præſefert.

212. Coronæ ſi circa Lunam fuerint, decernunt magis flatus, quam ſi Solem ambierint; corona enim quæ circa Solem fit, non poteſt niſi ex frigidiori & vaporoſa magis materia conſtare: nimirum tali, quæ ſua frigiditate, calori Solis adeò aduerſetur, vt nequeat diſſolui.

213. Quod ſi coronæ circa ambo luminaria diſrumpantur, ventos proximos eſſe monent; & ex qua parte ruperint ſe, ventus expectetur. Ventus namque in ipſa conſtitutione genitus, eam diſtrahit, & ab aliqua parte intercidit. Vnde Alexander. ἤδη γὰρ ἐκεῖ πνεῦμα ἐστὶ ὑφ᾽ οὗ τὸ νέφος, καὶ ἡ τοιαύτη σύστασις διασπᾶται· quod eſt. *Iam enim ibi ventus eſt, qui nubem & conſtitutionem frangit.* Gignitur autem ventus ibi, quoniam conſtitutio exhalationes habet plures, & quidē aptas vt ex illis flatus oriatur.

214. Nubes vnde exoriri & moueri videbitur, inde ventus veniet; cuius cauſa eſt, quod ventus motûs principium è ſupero loco habeat, ideò nubes à vento pulſa mouetur.

215. Si temporibus æſtiuis nubes ſiccæ & aquarum expertes exoriantur, ventum indicant; cum enim eiuſmodi nubes minùs vaporib. abundent, exhalationem, ventorum materiam, in illis dominari, rati.

rationi videtur consentaneum, ex quibus mox venti oriantur: æstate autem id potissimùm accidit, non autem hyeme, quoniam sicca exhalatio hyeme facilè refrigerari potest temporis frigiditate, quâ refrigeratâ ventus oriri potest.

Si vndique fulgura cadant, aquas nuntiant; atque vnde crebra & densiora ceciderint, inde ventus exorietur. Ideo autem non pluuiam duntaxat, sed ventum indicant fulgura, quia elisa exhalatione oriuntur; cum autem exhalatio hæc à vapore superetur, inde meritò venti solùm promittentur, vnde crebriora fulgura ceciderint & densiora. 216.

Per Æstatem vnde fulgura & tonitrua ceciderint, illinc vehementissimi venti & valentissimi spirabunt. Quod si vehemens viribusque præcellens fulgur fuerit, celeriùs & vehementiùs flabunt: si verò paulatim ac leniter, exiguus ventus erit. Nam æstiuo tempore & antiperistasis maximas habet vires, & vaporum exhalationumque maior copia generatur, exhalationumque potissimùm ob temperamenti temporis consensionem. Quare exhalatio non solùm ad fulgura & tonitrua producenda satis est, verum etiam ad ventos generandos; impetu autem magno eadem hæc exhalatio mouetur, ob caloris circumstantis vim coaceruata frigiditate, ac subinde vehementer facta concretione. 217.

Per hyemem autem ac Autumnum contrà euenit; fulgura enim ventos sedant, & quò vehementiora fuerint fulgura & tonitrua, eò magis hoc efficiunt: hæcque omnia fiunt ob causas contrarias ijs quæ de æstate attulimus: hyeme namque longè minor est vis antiperistaseos, imo fortasse nulla tunc efficitur: deinde in nube non tanta adest exhalationis copia, vt fulgura possit & tonitrua, ac præterea ventos generare: itaque si fiunt, ventos sedant, consumpta in elisione fulguris & tonitrui exhalatione tota, vt nulli ampliùs venti sint timendi. 218.

Si Austro spirante, fulgur à Septentrione venerit, desinet Auster flare: si à parte exortiua, tertia die cessare Auster solet. Prioris enim signum est materiam ventis gignendis idoneam ad Septentrionem parari, iamiamque Aquilonem exoriri. Verùm Aquilo Austrum sternit, docente Aristotele. Itaque desinet Auster necessariò. Posterioris autem causa est, quoniam Orientalis flatus naturâ Au- 219

I strinus

ſtrinus eſt, nec Auſtrum comprimit, cum non ſit ſecundum diametrum oppoſitus.

220. Alij autem venti, ſi coruſcauerit à parte exortiua, ceſſare ſolent, quinta, ſeptima & nona die: Occidui autem flatus celeriter deficiunt: cuius quidem prius, tum in exhalationum copiá, ex quibus venti illi oriuntur, tum ad loca, ex quibus manant, & per quæ tranſeunt, & ad quæ vadunt, referendum eſt.

221. Quos ventos Sol exoriens ſedat, Luna emergens excitat, & contrà; etenim Sol & Luna non diuerſo duntaxat, verum etiam contrario modo agere videntur. Sol namque abſumendo humorẽ caloremque augendo flatus ſternit, Luna humorem è contrà augendo. Etenim ijs exhalationibus quæ plurimum habent humoris Sol calorem augendo motum impertitur. Igitur exoriente Luna augebitur vltra modum ille humor, ex quo & flatus ceſſabit. Sternit autem tales Sol, quia humorem exſiccat: & Luna exoriens humorem augebit. Quamobrem cauſa erit vt moueantur.

222. Venti & potiſsimùm Aquilonij qui interdiu incipiunt, diuturniores & valentiores ſunt, quàm qui noctu. Qui namque à robuſtiori principio generantur, ij neceſſariò diuturniores ſunt & potentiores: at calor maiores interdiu habet vires quàm noctu, igitur & tunc maiorem exhalationum copiam excernit. Idem quoque ſignum in alijs ventis locum habet præterquam Auſtrinis.

223. Si Eteſiæ plurimum temporis flauerint, & Autumnus ventis perflatus fuerit, tunc hyems tranquilla, & à ventis ſilens erit. Quod ſi contrario modo res contingat, & contrario modo ſe res habebit. Prioris hæc eſt cauſa cũ in tẽpore præcedenti materia tota conſumpta ſit, ac iam euanuerit, nondúmque alia affluxerit, neceſſariò hyems erit à vento ſilens. Quin etiam cũ in tranſitu Autumni in hyemem, mutatio in aëre fieri debeat, omnis vero mutatio in contrarium ſit, iure Autumnus ventis perflatus hyemem tranquillam auguratur.

224. Vnde è montium ſummitatibus nubes producuntur, inde venti flabunt. Similiter nubes ſi à tergo conſidant, venti quoque à tergo flabunt. Cum namque nubes moueantur à ventis, mirum non eſt, ſi ex nubium ſitu, quâ ex parte flaturi ſint, prænuntietur.

225. Montes nubibus obueſtiti ac præcincti, augures vt plurimum Auſtralium flatuum eſſe ſolent; quoniam nubes humidiores cum

fuerint,

fuerint, descendunt, ac montes ipsos præcingunt. At Austrinâ iam vigente tempestate, humidior aër redditur: iusta ergò de causa signum hoc Austros significat.

Cometæ sæpè ventos nuntiant, & si multi fuerint, squalorem: de qua re consulendus Aristoteles cap 8. 1. Meteor. 226.

Post niuem Auster, post pruinam Aquilo spirare consueuit, ut præter Theophrastum docuit Aristoteles problem: 3 sect: 26. 227.

Fungi in lucernis potissimùm non continuati, sed in grana quasi distracti, milio similia ac splendida, aquam expectandam esse & ventum indicant; dominari enim in aëre vna cum vaporibus siccam exhalationem ostendunt. Cum enim humore omnia continuentur, distinctio illa sicciorem esse constitutionem arguet, præsertim si accedat splendor qui in eiusmodi concretionibus à sicca exhalatione causatur. Quamobrem simul cum pluuijs venti meritò expectandi sunt. 228.

Pappi multi, qui ortum ex spinis ducunt, si per aërem volitent, aut, vt loquitur Theophrastus, si ad mare ferantur, magnum futurum flatum præsagiunt. Plinius signum tale hoc pacto proponit. *Lanugo populi aut spinæ volitans, aquisq; pluma innatans &c.* Virgilius quoque ante illum. 229.

Sæpe leuem paleam, & frondes volitare caducas,
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.

Ideo autem magnus ventus præsagitur; quia non nisi vehementi quodam motu aëris, ex arboribus lanigeris lanugo aufertur, quæ magnum ventum propterea spondet, iamiam validè aërem ipsum commouentem.

Astra plura, ex qua parte discurrunt, ventum prænuntiant. Quod si vndique discurrant, ventura flatuum plurimorum prælia ostendent; ab exhalatione enim sicca discurrentia astra fieri docet Aristoteles. Quamobrem quò fuerint crebriora, eò etiam maioré exhalationis huius copiam demonstrabunt, hæc autem ventum gignet. signum hoc ita describit Aratus. 230.

Καὶ διὰ νύκτα μέλαιναν ὅτ' ἀστέρες ἀΐσσωσι
ταρφέα, τοὶ δ' ὄπιθεν ῥυμοὶ ὑπολευκαίνωνται,
Δειδέχθαι κείνοις αὐτὴν ὁδὸν ἐρχομένοιο
πνεύματος id est

Item per noctem atram cum stellæ præcipites ruant
Crebrò, à tergo verò tractus subalbescant,
Accipito per illas eâdem viâ venientem
Ventum.

Virgilius Aratum imitatus

Sæpè etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites cælo labi.

Plinius. *Tertio loco stellarum obseruationes esse oportet. Discarrere eæ videntur interdum, ventiq́ protinus sequuntur, in quarum partibus ita præsagiuêre: & mox si volitare plures stellæ videbuntur, quò ferentur albescentes, ventos ex ijs partibus nunciabunt: aut si cursitabunt certos: si id in pluribus partibus fiet, inconstantes ventos effundent.* Quod totum ab Arato sumptum est ita canente.

——— εἰ δ᾽ ἔκεν ἄλλοι ἐναντίον ἀΐσσωσιν
Ἄλλοις ἐξ ἄλλων μερέων, τότε δὴ πεφύταξο·
παντοίων ἀνέμων οἵ τ᾽ ἄκριτοι εἰσ μάλισα·

Quod est ex Auieno.

Quod si diuersis se paßim partibus ignes
Excutiant: verret pelagus sine fine modoq́
Turba procellarum.

Demum Ptolemæus; *Item lationes stellarum si ab vno angulo prorumpant, inde quoque ventum emittunt. Sin occurrent inter se, ventorum prælia suscitant: sin verò de quatuor plagis ruant, hyemes varias ferunt, atque etiam fulmina, tonitrua. & quæ alia huiusmodi sunt.* Causa huius signi ex modo generationis syderum currentium desumitur; cum etiam alia fiant accessione quadam (exhalatione videlicet motu accensa) alia excretione potius exhalationis (quæ fit elisione quadam) prior in supero loco magis generatur, ideoque ventos non indicat, nisi quatenus exhalationem dominari trudique ad hæc loca nostra monstrat: posterior in inferiori loco gignitur. Atque talia currentia sydera ventos præsagire possunt, quoniam eo in loco venti fiunt, in quo coguntur in nubes exhalationes ipsæ & vapores: vnde ea in parte incipientes, atque huc & illuc suo flatu accensas exhalationes illas ferentes, iamiam eum ad nos appropinquare indicant.

FINIS.

LAVS DEO OPTIMO MAXIMO.

Ode

TRICOLOS TETRASTROPHOS.

AD NOBILEM ET PERERVDITVM DOMINVM ANDREAM MIROVVSKI, I. V. STVDIOSVM, HASCE METEOROLOGICAS DE VENTIS ASSERTIONES DEFENSURUM, PRÆCEPTOREM SUUM OBSERUANTISSIMUM.

ANDREÆ CORYCINII A CORYTHNO ELOQVENTIÆ STVDIOSI.



Vlti Thyrsigeri, vix tamen vnus est
Bacchus: sic sophico nomine plurimi
Gaudent, sed quot, honores
Hos, virtutibus ampliant?
Pauci, crede mihi; res etenim ardua est,
Et longè superans iudicium rudis
Vulgi, nomen honoris
Hoc defendere debitò.
Nam non exigua, ast magna requiritur
Rerum cognitio: nosse decet physin
Rerum, nosseque causas
Occultumque opus omnium.
Non intrasse iuuat solum aditum, sed &
Abstrusum ipsum adytum: quærere conuenit
Rerum ortus, obitusque,
Finem, principium, situm.
Cum ventis pluuias, fulmina, grandines,
Et quidquid generat cunctiparens humus,

Quin Neptunus & ipse
Inuiſendus in æquore.
Demum nulla poli, nulla ſoli, ſali
Pars nulla eſſe poteſt, quam deceat ſophum
Prætermittere: nam qui
Talis, qualis erit ſophus?
Odiuum genus, ô aurea pectora,
O verè ingenium par genio Deûm,
Cui non eſt ſcopus aurum,
Sed virtus Sapientia.
Tu nunc qualis in hoc ſis ſtudio, tua
Iſthæc docta theſis publica comprobat:
In qua nimbiſonorum
Ventorum vaga flamina,
Tali & tam nitido proſequeris ſtylo,
Vt nil deficiat, nilque ſuperfluum
Sit: tu ſingula noſti
Et ſubtiliter edoces.
Nam tu ſic Zephyrum, ſic Aquilonios,
Sic Eurum & Boream, denique ſic Notum
Pertractas, vt & ipſum
Vincas Hippotadem Aeolon.
Forti macte animo perge, laboribus
His inſiſte tuis acriter; omnibus
Sic præſtans tua virtus
Clareſcet ſapientibus;
Sicque inſigne tuum nomen ad omnia
Ventorum vnanimi flamina ſpiritu
Portabunt loca, quin ad
Ipſam ſyderam domum.

Ode

DICOLOS DISTROPHOS.

IN HONOREM

NOBILIS, ORNATISSIMI,

DOCTISSIMIQVE D. ANDREAE MIRO-VVSKI V. I. STVDIOSI HANC VENTORVM THEORIAM propugnaturi, amoris & obseruantiæ loco conscripta & dedicata

à

NOBILI IOANNE VVOLSKI ELOQVENTIAE STVDIOSO.




Ebus ijs, vis nulla manet virtusque perennis,
Quas manus ædificat:
Ast quæcunq; animus molitur & excolit, omni
Tempore firma manent.
Nunc ager est, vel sylua rudis, vel caula, quod olim
Principis aula fuit.
Regifico contrà constructa palatia sumptu,
Densa vbi sylua prius.
Ast firmum & fidum nomen documenta tuentur,
Quæ parat ingenium.
Vtilius sophiâ nihil est, nil suauius, atque
Nil magis eximium;
Hanc comitatur honos, comitatur gloria, & amplæ
Hanc comitantur opes;
Quas nec naufragio pelagus submergit iniquo,
Nec vaga flamma vorat;
Sed quæ nobilium generosum stemma virorum
AEquiparant, superant.
Hæcce Stagiræi celsum super æthera vexit
Nomen Aristotelis.

Hâc

Hac Plato, Panthoides, Theophrastus ad ardua laudum
Culmina perueniunt,
Hosce duces, hos signiferos tu ô docte MIROVI
Acriter insequeris,
Assequeris cursu, superas virtute, labore
Consimilisque tuo es.
Mentis opus subtile tuum, de flamine venti,
Hoc docet atque probat,
Indicat vnde fragor venti, quæ signa fragorem
Flaminis anteeant.
Quosque ferat morbos Euri spiramen, & Austri
Et Boreæ, & Zephyri.
Et quàm quisque suis regionibus afferat ampla
Commoda, prosequeris.
Hoc cursu, hac virtute, laboribus hisce MIROVI
Differe; victor eris.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0030147

